

Библіотека Литовской
Духовной Семинарії.

Зала

Шкафъ

Полка

Мѣсто

68

9

41

42

Logicae P. Studenfti
et Plantæ Philosoph.
P. Ostrovin

**PRINCIPIA RATIOCINANDI
VARIIS DIALOGIS**

atque

exercitationibus tum Logicis tum
Ethicis tum Metaphysicis contenta


AUTHORE

R. P.

**S T A N I S L A O
S Z A D U R S K I**

Societatis JESU

Philosophiæ in Præfēs Professore.



Annō Domini 1760.

Nos autem quoniam contra omnes dicere,
qui scire sibi videntur, solemus non pos-
sumus quin alij à nobis dissentiant, recu-
fare, quamquam nostra causa facilior est
qui verum invenire sine ulla contentione
volumus, ideaque summa cura, studioque
conquirimus.



208653

PRINCIPIA
Ratiocinandi
Duabus Logicis Comprehensa.
LOGICA PRIOR
Præcepta Dialectica continens
Variis Dialogis Contenta

DIALOGUS PRIMUS

De Natura, & Objecto Logicæ.

EUGENIUS, THEANDER.

EUGENIUS. Appetiit tandem, quam con-
diximus hora, Theander, ut, quoniam
Philosophiæ curriculum ingressi sumus,
de ea ipsius parte, quam Logicam Schola vocat,
sermonem instituamus: ecquid, putas, hoc à Græ-
cis, nisi fallor, adscito nomine venit?

THEANDER. Undecunquē id nominis traditum
sit, Eugeni, quod ipse Græcis non illibenter refe-

A

ro,

LOGICÆ PRIORIS

ro, mihi Logica nil aliud est, quam: *Scientia, quæ Veritatem operationum mentis nostræ contemplatur, adquæ demonstrat.*

EUGE: Quid verò mentis operationes appellas?

THEAN: Mentis nostræ operationes, nolim, aliud putas, quam cogitationes, quæ triplicis generis sunt: nimirum *ima* mentis operatio, *2da* item, & *3ta*. Prima mentis operatio, quam etiam apprehensionem Schola vocat, est repræsentatio objecti, quodeunqué illud sit, absqué ulla decisione mentis super eo, quale, quidve sit illud, quod repræsentatur, atque objicitur intellectui.

EUGEN: Nimirum cum amicum mihi, cum florem, cum adamantem exhibeo, nihilqué de amico, nihil de flore, de adamante nihil assero, nequé quid fit, nequé quid non fit, enuntio, nihil, nisi primam mentis operationem apud me efformo.

THEAN: Sic est, rem tenes Eugeni, at Secunda operatio mentis est ea, per quam mens judicat, decidit, ac statuit, quidpiam ita, aut tale esse, aut non esse.

EUGEN: Itaque cum ipse mecum convenio, amicum esse rebus meis opportunum, florem jucundum, adamantem prætiosum, alteram mentis operationem effinxi.

THEAN: Nil dubita, ita esse, ut dicis: tum verò: Tertia mentis operatio est, dum ex uno judicio de re quapiam concepto, atque constituto, aliud erimus, atque deducimus.

EUGEN: Istud non ita mihi videor, ut cætera percipere.

THEAN: Exemplo rem metire. Fixum tibi, ratumqué est, amicum quempiam sincerum esse, igitur

DIALOGUS I.

3

tur amicitiam ejus ambiendam, colendamque concludis:

EUGEN: Nil opus est pluribūs, jam assequor, id ita quoqué in cæteris tertiam mentis operationem esse: Sed exime jam rogo, quod mihi præterea dubitationi nascitur.

THEAN: Quid illuc? fac palam.

EUGEN: Triplicis tantum generis operationes mentis attulisti, at etiam audiebam ab aliis plures numerari, atque in iis imprimis comparationem, dubitationem, & methodum recenseri.

THEAND: Ecquidem id ipse non ignoro, Eugeni, ita multis placere, sed mihi proposui hac in re iter, quod maximè tritum est, tenere, præfertim quod quæ attulisti operationum genera, ad prima illa capita commodè revocentur.

EUGEN: Qua id vero ratione?

THEAN: Accipe: Comparationem refero partim ad Primam mentis operationem, partim ad secundam. Nimirum dum intellectus primas rerum apprehensiones excutit, ac examinat, & an altera in alteram cadat, experimentum capit, antequam convenientiam, aut inconvenientiam earum deprehendat, easqué inter se conjungi, vel non conjungi decidat, inter primæ adhuc operationis limites versatur, ubi verò illas congruere, aut à se planè refugere post diligens examen constituit, ad alteram mentis operationem evasit. Dubitatio pariter nil aliud est, quam duæ rerum apprehensiones, quarum nequé convenientia inter se, nequé inconvenientia tam distinctè percipitur, ut mens inter asiensum, disiensumque fluctuans, in alterutram partem inclinetur, atqué in una potius, quam in altera conquiescat.

LOGICÆ PRIORIS

4
escat. Methodus verò, quæ est certa ratio varias orationis partes suo ordine collocandi, aut certè si mavis, rem quamlibet ordinatè persequendi, nil aliud est, quam collectio quædam judiciorum, aut discursuum, sive ratiociniorum apta serie se consequentium. Verùm de Methodo plura suo loco dicemus, ex quibus etiam quæ impræsentiarum dicta sunt, patescent.

EUGEN: Hæc interim etiam mihi hoc loco sufficiunt, sed fortasse vestigia tua relegens, unamquamquæ operationem mentis paulò uberiorū explicabis.

THEAN: Hoc omnino proposui, atque exequar:
Et quidem

Primam mentis operationem quod attinet, ea quoquæ vocari in Scholis solet: Conceptus, & Terminus, & Idea. Conceptus videlicet per ordinem ad mentem; Terminus Dialecticus per ordinem ad propositionem, sive judicium; Idea verò per ordinem ad objectum, sive id, quod per ipsam nobis objicitur, ac repræsentatur. Age singula apertūs prosequamur: Mens dum aliquod objectum in se exprimit, quodam modo inde fæcunda redditur, & veluti fætum quemdam in se concipit, inde mentis operatio, *Conceptus* comparatè ad mentem dicitur. Jam quia reliquæ cogitationes in eandem ita ultimò resolvuntur, ut infra methodum quidem dentur argumentationes, infra argumentationes judicia, infra judicia primæ operationes, infra verò primas operationes, nulla detur simplicior diversi generis operatio mentis, hinc illa hoc ordine procedendi *Terminus* est apud Dialecticos, & *Terminus Dialecticus* appellatur. Postremò denique quia

DIALOGUS I.

5

quia rei, quam repræsentat, naturam, & intimam æconomiam earum notionum, quæ in ipsa cotinentur, exhibet, *Idea* nuncupatur.

EUGEN: Percipio satis omnia, sed in Ideæ *tamen* perceptione hæreco aliquantum. Numquid enim ejus ratio sic à te explicata ut judicio aut longiori etiam rerum descriptioni accommodari potest?

THEAN: Rectè mones: multi sunt, qui id faciunt, nequé ego is sum, qui hanc ipsis ita faciendi facultatem adimere velim. Te solùm id monitum volo, ut, quid ideæ nomine, cum illud usurpari res postulabit, seu à te, seu ab aliis intelligatur, diligenter declarari facias, ut homonymiæ laqueos effugias.

EUGEN: Enim vero probè intelligo, quantum mea aliorumquæ intersit, ne in vocum salebris hæreamus.

THEAN: Me quod attinet, scias velim, quocunquæ deinceps loco ideæ appellationem usurpare, per eam semper primam mentis operationem designatum iri. Cæterùm quidquid Logica in prima mentis operatione contemplatur, id totum ad eam ipsius rationem pertinet, ob quam idea, seu objecti repræsentatio appellatur. Quam ob rem ideæ notio uberiùs explicanda nobis restat.

EUGEN: Videbar mihi jam omnia, quæ ad ideæ notitiam pertinent, percepisse, cum interim plura promittas. Tantine verò negotii res est, ut pluribus explices eam mentis operationem, quæ parum utiquæ momenti ad hominis officia cum ratione, & consilio obeunda confert, cum nonnisi iudicio, discursuqué homines regantur, atqué adeò hæc duo sint, quæ cum universæ Philosophiæ,

tum etiam Logicæ operâ industriâqué excoli potissimum debeant.

THEAN: Laudare tuum non satis possum, mi Eugeni, in rerum delectu judicium, quod ea potissimum in scientiis, ad quas te contulisti, consequi velis, quæ cum communis vitæ utilitate, hominisqué officiis imprimis consentiant. Sané id hominis est, omnia confilio, & ratione temperare, cum verò omnia scire temporis inopia, & angusta vitæ spatia non permittant, utilia tantum scrutari, id omnino sapientis. At quod in idearum explicatione parùm operæ pretii positum esse arbitraris, ne tu vehementer meo quidem judiciè falleris.

EUGEN: Quid ita?

THEAN: Prima etenim regula cognitionum humanarum ideæ sunt. Scio vulgarem illam querelam, qua perversa in re omni, aut non satis recta hominum judicia, & ratiocinia accusamus. Sed enim unde, putas, judiciis ipsis, ratiociniisqué vitium afflatur? ab ideis profecto. Da ideas semper exactas, da rebus, quas repræsentari nobis volumus, aut putamus, conformes, nullus erit, hominum, qui non rectè judicet, immo nullus poterit non rectè iudicare. Habemus quotidianum ejus rei exemplum in hominibus rusticis. Quàm illi optimè de Æconomia, de agricultura, de re cætera familiari judicant, quàm exactos discursus colligunt, nimirum quia earum rerum exactas ad rerum meritum ideas habent. Quis verò ferat eosdem de Politica, & scientiis aliis, atque Artibus disputantes. Videlicet ideis destituuntur, quibus apud ipsos ritè earum artium natura, & ratio de pinga-


DIALOGUS II.

7

pingatur. Quare summum negotium in eo positum, intelligas oportet, Eugeni, ut ideas habeamus, quæ nobis fideliter objecta, eorumque rationes referant, atque adeò ipsæ exactæ sint, & rerum per ipsas representatarum simillimæ. Jam ut ad eam utilitatem præter alias scientias singulis materiis peculiares, aliquid etiam Logica conferat, dicendum erit de vario genere idearum, quantum nostri instituti conditio feret.

EUGEN: Ego te quidem, Theander, non illibenter de rebus ejuscemodi, ut adhuc feci, audirem, sed quoniam aliò nos tempus vocat, fac, ut proximo die ad ea, quæ proposuisti, explicanda paratus accedas, me alacrem, & dictis audientem videbis. Vale.

THEAN: Vale Eugeni.



DIALOGUS SECUNDUS

De vario genere Idearum.

EUGEN: Summo mihi solatio est, advenisse tempus, quo cum tuô, Theander, consortiō frui possim, tum ea, quæ ad idearum distinctionem promisisti afferenda, hodie sim ex te auditurus.

THEAN: Non dubita quoqué, Eugeni, me maximè & consortiō tuô delectari, & obsequiō meō, quod tibi impendere in Philosophicis commentationibus possum. Rem itaque in vario idearum genere recensendo positam aggredior.

Imprimis ideas Philosophi simplices numerant, &

compositas, sed ut verum fatear, ideam simplicem in mente ferme non repereris, ejusmodi nempe, quæ alias in se minores tanquam partes, ex quibus componitur, non complectatur, quamcunque enim rem cogitaveris, ea adhuc per genus, & differentiam, sive per id, quod pluribus commune est, atque per id, quod ipsius est peculiare, explicari poterit, adeoque duabus saltem ideis constabit.

EUGEN: Omnes ergo compositæ erunt?

THEAN: Sanè: Nisi fortè differentiam à vobis expressione desumas, etenim dum dico *Nanus* aut *homo* Idea simplex vocatur, dum vero *hominem admodum parva statura* aut *animal ratione præditum* pronuncio, composita sive complexa Idea appellatur; quæ tamen & similia, dum in mente versantur nequé in sermonem externum prodeunt eisdem sunt rationis.

EUGEN: At enim mihi discriminis quidpiam, esse, in ipsis cogitationibus videtur, namquæ dum cogito *nanum* aut *hominem* nihil homini aut *Nano* adiicio, quod illi non sit necessario conveniens, cum vero cogito *hominem admodum pusilla statura* aut *animal ratione præditum* adiicio homini exiguum statutam, & animali rationem, quæ ipsis non necessariò conveniunt.

THEAN: Rectè tu quidem, atqué etiam subtiliter Eugeni: sed si rem penitus inspicias idem fieri utrobique deprehendes. Dum cogitas *Nanum* aut *hominem* & rursus *hominem exigua odmodum statura*, atque *animal rationis particeps* dum mente efformas, nihil utrobique nano, nihil homini adiicis, quod illi non necessario conveniat, tamen utrobique aliquid adiicis quod homini, quod anima-

DIALOGUS II.

9

animali accidentariè & contingenter conjungitur
nimirūm semel, staturam exiguam rursus ratio-
nem.

EUGEN: Profecto id ita esse deprehendo.

THEAN: Cum igitur omnes aut penè omnes Ideæ compositæ sint constentquæ aliis ideis veluti partibus totum componentibus, collectio earum componentium, unius adæquatæ compositæqué Ideæ, fundus & comprehensio appellari consuevit. Ita in Idea Eugenii video quod ille fit homo, in Idea hominis video, quod fit sentiendi & rationandi facultate praeditus, in sentiendi facultate viventis rationem percipio, in vivente substantiam deprehendo, hæc igitur omnia in Idea Eugenii, id est in ipsius comprehensione, ac veluti fundo reperio, atque adeo singula Eugenio tribuenda agnosco.

EUGEN: Non inficiar Theander, hæc quidem ad me pertinere, at eorum tu quoquæ partem fortasse aliquam tibi vindicabis & si quæ dixisti quoniā mei fundi fint, mihi soli propria videantur.

THEAN: Si quid eorum ad me derivabo Eugenii id nequaquam è tuo fundo eruam sed è meo. Evidem quædam propria & peculiaria tibi sunt, atque mihi, quædam communia habemus, seu potius in suo quisquæ agro similia. Atque vide quomodo ad aliam Idearum divisionem delapsi sumus, sunt enim Ideæ quædam *Singulares quæ uni & soli rei cuiusdam propriæ sunt nequæ cum aliis communicari possunt* Quemadmodum Idea Eugenii ita Tibi peculiaris est, ut mihi competere non possit & Idea Theandri ita mihi propria ut ad te traducere illam, nulla ratione valeas. Sunt vero quædam

dam communes & Universales, quarum ratio pluribus competit, quæ in ea similia esse deprehenduntur. Ita hominem esse, ita ratione & sentiendi facultate præditum, ita vitæ participem & substantiam esse, nec mihi ego solus, nec tu tibi usurpaveris, communia hæc habemus, & simili proportione dispartita.

EUGEN: Ex his igitur perspici licet, ideas communes & universales in singularibus contineri. At vero an etiam singulares in Universalibus contineantur, id etiam scire percuperem.

THEAN: Quemadmodum vidisti universales Ideas includi in singularium comprehensione, sic etiam singulares in universalium extensione noveris contineri.

EUGEN: Quid nam rei est isthæc extensio.

THEAN: Extensio Ideæ universalis sunt omnia singularia quibus illa applicari potest, quibusque convenire, sic hujus Ideæ Homo: extensio sunt: Adamus, Nòé, Abraham, Aristoteles, Alexander, Julius Cæsar, Pompejus. Omnes denique homines. Quapropter cum Idea Eugenii sit singularis, Eugenius vero in omnibus hominibus, sive in numero omnium hominum contineatur necesse est Ideam Eugenii in extensione Ideæ hominis contineri. Pariter de aliis.

EUGENIUS. Capio rem satis Theander neque te pluribus moror.

THEANDER. Id tamen etiamnum animadverte ejusmodi extensionem duplēm esse, generalem & particularem: Illam solemus voce *omnis aut omnes* significare, hanc voce aliquis seu aliqui, ut si dicas *omnis homo, omnes homines & aliquis homo,*

DIALOGUS II.

II

mo, aliqui homines. Unde Idea singularis inextensione generali ideæ universalis, semper continetur, non semper in extensione particulari.

EUGEN: Cur istud?

THEAN: Extentio enim generalis affert totam collectionem omnium singularium, in tota vero collectione necesse est singula tanquam partes in toto inesse. Contra extentio particularis, partem tantum Collectionis singularium affert, in parte vero, quis non videt, singula quæ totum componunt non reperiri. Unde quod ex vero dicitur de extensione generali Ideæ, dici pariter potest de singulis, illam Ideam participantibus. Quod vero extensioni particulari Ideæ tribuitur, singulis attribui nequaquam potest. Ita si omnis homo est ratione prædictus, est etiam Eugenius, quod si aliquis homo est ignorans, non ideo quoquæ Eugenius.

EUGEN: Videor mihi Theander jam satis intellectusse, qua ratione Ideæ singulares & universales se vicissim contineant, atque adeo mutuo se excedant. Nimirum comprehensione singulares majores sunt, in iisquæ insunt universales: rursus universales, extensione ampliores sunt, & ambitu suo singulares concludunt. Par quoquæ de causa Ideæ minus universales comprehensionem majorem habent, magisquæ universales in se continent, jam vero magis universales, extensione prævalent minus universalibus.

THEAN: Ita plane. Sed aescendum est Eugenii, ut Ideas apto ordine extensionis apud te in mente colloces. Quod dupli ratione efficere poteris: Aut enim supériore veluti loco repones Ideam,

LOGICÆ PRIORIS

am, quæ omnium maximam extensione habet, deinde minores, atque etiam minores extensione Ideas subicies ut *vg.*

ENS	-	-	-	Genus supremum.
SUBSTANTIA	-	-	-	Genera subal-
CORPUS	-	-	-	terna seu
VIVENS	-	-	-	mediata.
ANIMAL	-	-	-	Genus infimum & species subalterna.
HOMO	-	-	-	Species infima.
EUGENIUS	-	-	-	Individuum & singulare.

Aut certe illi quæ minimam extensionem, atquæ etiam fortasse nullam habet, summum quasi fastigium assignabis, deinde ordine ad magis magisque universales descendes. Ut *vg.*

EUGENIUS.
HOMO.
ANIMAL.
VIVENS.
CORPUS.
SUBSTANTIA.
ENS.

Primus passim ordo in scholis proponitur, ac secundum illum ideæ magis universales vocantur superiores, minus universales inferiores dieuntur, comparatè nimirum ad eam collocandi rationem.

EUGEN: Alter alterius ordo simillimus mihi esse videtur.

THEAN: Nec ego discriminis inibi quidpiam video, nisi forte tantum, quantum est in una eadem quæ via, quæ ardua in montem ascendit, declivis ac facilis descendant in vallem videtur. Verum quæ-

DIALOGUS III.


13

quæcunque illa sit series Idearum proculdubio plurimum momenti confert. ad res rerumque naturas, ordinatè contemplandas, tum perscrutandas ac demonstrandas.

EUGEN: Id equidem ipse non obscurè perspicio, sed restant fortasse Theander, alia genera aliæque divisiones idæarum?

THEAN: Omnino non defunt: veræ & falsæ Ideæ, argumentum nobis commentandi deinceps præbebunt, nunc quoniam aliquantum defessi sumus, remissionis non nihil capiendum est.

EUGEN: Craftino die quamprimum licuerit te conveniam. Vale.



DIALOGUS TERTIUS

De varia Origine falsarum Idearum.

EUGEN: Memini probe Theander à Te superius dictum esse, quantum intersit, ut semper exactas rebusqué conformes, atque adeo veras Ideas habeamus, nunc equidem Te huic commodo, quantum in Logica remedii repereris puto consulturum.

THEAN: Plane eo Te animo accessi Eugeni, ut qua ratione error in Ideis (dari enim falsas ut populari voce utar hoc loco non diffiteor:) evitari possit aperiam.

EUGEN: Nullo de me amplius mereri poteris, atque si istud effeceris.

THEAND: Sed medicorum ingenio antequam malo curando manum adhibeamus, in mali fontes inquirendum est.

Eu-

EUGEN: Quinam igitur fontes sunt, equibus error in ideas nostras potissimum derivari solet.

THEAN: Hi principes Eugeni, sensus authoritas, affectus, consuetudo, sermo.

Sensus imprimis est proditor & seductor. Adhibe plures testes ejusdem rei ab omnibus exceptæ, nunquam ferme convenientia testimonia habebis. Alius quidpiam demet, alius addet, quin & contendent inter se, & te *vel* incertum relinquunt, *vel* falsum, adeo ex iis necessè est *vel* unum esse à sensu deceptum. Da tribus *vg* idem vinum prægustandum, dulce unus & gratum, subamarum alter *v.* subacidum, tertius ex vetustate acre & generosum appellabit. Tibi ipsi idem objectum aliud illo, aliud alio tempore esse videtur. Quid plura? Sensus nobis rem exhibit secundum præsentem cuiusqué nostrum conditionem & statum, non secundum rei meritum.

EUGEN: Quandò nam igitur testimonio sensuum acquiescendum erit?

THEAN: *Imprimis* dum plures sensus concordes, ita rem esse testantur. Ita: Oculus videns, manus tangens, os gustans, aquam esse in fonte nunciant. Idea in communi saltem hominum usu non est suspecta. *2do* Quando testimonium sensuum tuorum non evertitur aliò argumento, vel à sensibus alterius, qui illis & bene instructus fit, & bene utatur, vel ab experientia aliunde desumpta, *vel* denique à quacunquē ratione evidente orta, hinc non crede æstum esse, quando alii frigus dicunt. Nequé rursus tam exiguum solem crede, qualis esse non minor disco sensui videtur, dum experientia docet, res quo remotiores sunt, eo minores percipi-

DIALOGUS III.

15

percipi. Turris tibi dum è longinquo intueris rotunda videtur noli credere, scis enim quod spatia locorum rerum figuræ varient, accede ad æquam distantiam quadratam invenies.

Authoritas. Est alter fons vitiosæ ideæ: aliqui homini saepe aurem præbes, & fidem, non alia plerumquæ de causa, quam quod v. à puerò illi audiendo asseverasti, vel quod loquatur vocis forma, ad speciem gravi, vel quod à vulgi plebecula & leviore servitio, nimirum quantum celebretur, v. quod unus sit ex optimatibus, valeat potentia, cui vel nemo, unquam, vel nemo impunè contradixerit. Isti enimvero sunt tituli, quibus Authoritas abuti solet, ad hominum mentes pravis Ideis imbuendas.

EUGEN: Quomodo ab hac parte me communiam.

THEAN: Nulli Authoritati acquiesce, quæ non sit legitimè acquisita. Legitimè porro acquisitam, eam existima, quæ cum in rerum de quibus agitur cognitione atque usu versata sit, tum non sit singularis, & ab communi sensu abhorrens sed quinimo ab aliis ratione non affectu se gerentibus, collaudata.

EUGEN: Est enim ut dixisti affectus 3tia origo pravarum Idearum.

THEAND: Ita est Eugeni, si diligentia vel mediocri tecum ipse reputes, nunquam profecto repieres quemquam affectu quocunque agitatum exactam objecti, in quod affectu fertur, Ideam habuisse; sua illi perturbatio vel considerationem vel attentionem eripit, ac pro his præventionem ac præsumptionem sufficit.

Eu-

EUGEN: Huic malo unde putas medebimur?

THEAN: Præsentissimum illius remedium in ratione ipsa, atque in doctrina morali repositum esse arbitror. His duobus si ut opus est consulerent homines, quam subito suas viderent ideas, depositâ larvâ, quales revera sunt, comparere. Viderent avari avaritiam meram, quod æconomiam putabant, ambitiosi superbiam esse depræhenderent, quod animi magnitudinem & excelsitatem credebat, viderent vani homines insolentiam & immodestiam esse, quam hilaritatis, & urbanitatis nomine honestabant. Atque cætera id genus subita metamorphosi mutarentur.

EUGEN: Profecto nihil hoc remedio excellenter.

THEAN: Jam consuetudo & mos sive nationis sive regionis & familiæ, quam varius est, tam non leves modo, & quæ se solida ratione non sustentant, sed plerumquæ ridiculas & ridendas Ideas generat. Si morem in cultu corporis spectes: Polonis olim promissa barba, soleæ apud calceos prægrandes in pretio erant, nunc & soleas ad pedes & capillos ad caput ferme non videas. Multa alia & similia apud alios reperies. Apud fæminas vero omni fere mente quædam exulant Ideæ quædam civitate donantur.

EUGEN: Quomodo vero hinc quoquæ mihi propiciam.

THEAN: Firmiter tene, veritatem non ex istius modi consuetudinum ingenio, sed ex rationis sententia esse metiendam. At præ his omnibus.

Sermo. est qui pravis ad nos ideis Januas patentissimas aperit. Cum enim tot in sermone voces

DIALOGUS III.

27

ces ambiguæ fint æquivocæ & perplexæ, ex iis ut pravas incurii homines præsertim Ideas effor-
mant & concipiunt, sic per ejusdem sermonis commertium, eas in alio vulgant, magnò fane so-
cietatis humanæ damnō, adulterinam monetam pro germana ac legitima obtrudentes.

EUGEN: Quid verò hac in re cautelæ adhiben-
dum putas?

THEAN: Nosce omnem vocum potestatem, &
significationem; Deinde non rem secundum vo-
cem expende, sed vocem secundum rem adhibe
ipse, & ab aliis adhiberi, atque quid quisqué signi-
ficari per eam velit, indicari cura.

EUGEN. Nullinè præterea sunt errorum fon-
tes Theander?

THE: Præcipuos tibi indicavi, & e quibus
maximè malum afflatur, at verò si cæteros quo-
qué scire percupias, eos aut in culpa aliqua no-
stra, aut in vicio naturæ positos noveris. Ad
culpam pertinent ruditas adqué infæcia, & ne-
glecta cognitio, diligens earum rerum quas sci-
re tenemur, quæque in examen ac judicium ve-
niunt, tum verò vel ingenij tarditas vel me-
moriae, aut pertinacia, aut infidelitas. Prima il-
la, voluntate sola emendari, ista, arte & exer-
citiō excoli juvariqué possunt. verum de istis
plura alibi.

Hæc Tibi interim de *ima* mentis operatione
seu idea, dicta sufficient, jam ad alteram men-
tis functionem sive Judicium transeamus.

B

DIA-



208653

LOGICÆ PRIORIS
DIALOGVS IV.

De Secunda mentis operatione.

EUGEN: Fecisti adhuc Theander ut viderem, atqué perspicerem, quid in me ipso id est mente mea eveniat, dum ~~mas~~ operationes seu Ideas efformo, jam dic quæsa ea, quæ ad alteram mentis operationem pertinent sive Judicium.

THEAN: 2da Mentis operatio nascitur ex primis operationibus seu ideis, neque enim aliter de rebus judicamus, nisi quantum nobis in suis imaginibus seu ideis præsentes sunt, itaque occurunt tibi fortasse duæ Ideæ *Deus, Iustus*, examines, compares, quæres ex te ipso, utrum Dens est justus, nempe utrum esse justum competat Deo, deprehendis competere, atque adeo statuis, enuntias, proponis, apud temetipsum, judicas & decidis *Deus justus est*. Unde 2da mentis operatio, judicium & enuntiatio, & propositio appellatur.

EUGENIUS Sempernè verò eâdem ratione judico.

THEANDER: certè non Eugeni, sed ut in priore exemplo duas Ideas enuntiatione tua, & decisione mentis conjunxisti, ita quoquæ sæpe judicas, ideas mutuò separando, easqué invicem unam ab alia excludendo. Ita dum oblatis tibi hisce ideis: *Deus mendax*, formataque quæstione, utrum conveniat Deo esse mendacem, statuis apud animum tuum. *Nequaquam Deus est mendax*, separas a Deo ac excludis esse mendacem.

DIALOGUS IV.

19

EUGE: *Nimirum ipsum Judicium affirmans est, aliud negans.*

THEAND: Sic est profecto, ex his intelligis Eugeni, in judicando hac via procedi ipsum menti occurunt duæ idæcæ ad formatur quæstio, utrum una in alteram conveniat nec ne sequitur examen & comparatio atque denique aut convenientia Idearum, aut differentia decernitur, affirmatur videlicet, vel negatur.

EUGEN: Verum Theander negare convenientiam duorum obiectorum, aut illorum differentiam affirmare, statuere nimirum quod Eugenius non sit Theander, aut quod Eugenius sit alius a Theandro, non tibi videtur idem esse atque adeo non differre Judicium affirmans a negante?

THEAN: Duo hæc judicia Eugeni æquivalent certè sibi, præsertim quo ad sensum, non sunt tamen idem. Quemadmodum unus aurens numerus æquiyalet pluribus nummis argenteis, non est tamen eadem natura quatuor argenteorum numerorum & unius aurei.

EUGE: Exemplò optimè rem illustras, vellem tamen penitus videre, quid in ipsis judiciis distinctionis insit.

THEAN: Istud profecto: Quod non idem negetur in uno, ac affirmetur in aliò, quamvis qui negat unum, affirmat eodem tempore aliud. Tene illa duo, quæ attulisti judicia. *Eugenius non est Theander, atque Eugenius est alius a Theandro.* In ima negas convenientiam Eugenium inter ac Theandrum, in altera affirmas distinctionem, at certè convenientia ac distinc-

Etio esse idem non possunt. Ita hæc duo iudicia *dies est* & *sol lucet*, æquivalent sibi quo ad sensum, quia nimirum, quo tempore verum est *imum*, etiam verum est *secundum*, & qui unum afferit, non potest alterum inficiari: at differunt tamen, quia non idem est, quod in uno, atque quod in altero affertur; nempe *sol* & *dies* sive lux solis per aliquam regionem dispersa.

EUGEN: Omnia in medio sole, atque die posuisti Theander.

THEA: Hac igitur, quâ audisti ratione formatum Judicium, sive illud affirmans sit, sive negans, aut verum est, aut falsum? Dicis quidpiam esse, si re ipsa est, rectè & ex verò dicis, si non est reipsa falleris, dicis quidpiam non esse, si revera non est, verus es, si est, es falsus.

EUG: Hæc nimis quam vera esse videntur.

THE: Nihilominus mi Eugeni, sunt qui res tam claras inani subtilitate obscurare contendunt. Videlicet cum sciant veritatem nasci ex conformitate judicij, cum rebus seu objectis, falsitatem contra, ex propositionis cum obiecto diffensione, querunt ulterius importune, an ejusmodi conformitas constituatur per actum mentis, & per objectum, an solum per actum, ita tamen ut objecti congruentia veniat in obliquo, quemadmodum loquuntur, per modum conditionis ad veritatem necessariò requiritæ. At verò quid necessè est in rectis ac obliquis hærere, dum noverim appellationem quidem verè ac false Judicio soli trubui, haberi tamen eam ex obiecto, si nimirum cum propositione res congruat, aut contra ab eadem dissentiat.

EUG:

EUG: Sanè nolim ipse te in hiscē minutis immorari.

TH: Tamen ut ea quæ diximus Eugeni, de veritate universim intelligenda existima, ita habeto peculiarem Logicæ veritatem, quam suo loco clarius distingvemus, atque uberius explicabimus in eo confitere, quod Idea attributi sive prædicati includatur, nempe ejus comprehensio, & contineatur in Idea subiecti, scilicet in ejusdem comprehensione, nempe dum affirmo: contra verò dum nego.

EUG: Nimirum si quid assequor, subiectum id, de quo aliquid enuntio, attributum verò id, quod enun-
cio de alio appellas.

THE: Ita plane.

EUG: Unde dum dico *Eugenius est homo* ut verum sit, debet in idea Eugenii, ut potè singulari Comprehensione, includidi tota Comprehensio Ideæ hominis, ut potè universalis & magis communis.

THEAN: *Omnia tenes Eugenii.*

EUG: Redeunt mihi in memoriam quæ paulò superius dixisti, parce, si te paucis hoc loco interpellabo Theander.

THE: Audio libenter.

EUG: Erit ne fas quoqué dicere, tum veram Logicæ futuram propositionem affirmantem, cum subiectum inclusum fuerit in prædicati extensione, atque negantem, tum veram extitaram, cum ne quaquam includetur.

TH: Id ita vicissim evenire rectè ex superius dictis colligis Eugeni. Hæc autem quæ de veritate intellexisti, contraria ratione falsitati applicanda sunt.

EUG: Nimirum dum prædicatum & subiectum se includunt, vera est affirmans propositio, falsa est dum se non includunt, negans autem vera est, dum subiectum & prædicatum se non includunt, falsa est dum se includunt.

THE: Num quid hæc vides Eugeni, contraria ut dixi ratione judiciis affirmantibus & negantibus evenire.

EUG: Planè ita perspicio esse.

THE. Nequé minus ea ex oppositione propositionum affirmantium atqué negantium fluere opus est ut intelligas?

EUG: Profectò satis intelligo?

THE: Verum ut hæc atque alia plenius quoque intelligas, quædam tibi insuper de propositionum oppositione dicenda habeo. Oppositionem ejusmodi nimirum maxime duplicem esse, contrariam, & contradictoriam, schola addit sub contrariam & subalternam, ut vocant. Contrariæ sunt propositiones quarum una, totum id negat quod altera affirmat, & totum affirmat una, quod negat altera, ut hæc duæ: *Omnis Philosophia inutilis est.* *Nulla Philosophia inutilis est.* Contradictoriæ sunt, quarum una tantum negat, quantum necessè est, ad alteram affirmantem falsam reddendam, & tantum una affirmat quantum necessè est ad alteram negantem falsam reddendam: id vide in his duobus *Omnis Philosophia inutilis est.* *aliqua Philosophia inutilis non est* & rursus in his duobus. *Nulla Philosophia inutilis est,* *aliqua Philosophia inutilis est.* Si vel mediocriter attendas, videbis profectò ad hoc ut falsitatis convincas primam propositionem, generaliter affirmantem non esse opus, ut nulla prorsus Philosophia sit inutilis, neque esse opus, ut hæc determinata, vg. omnino Peripathetica non sit inutilis, sed sufficere, ut quæpiam non sit inutilis, sit sane Pe-

ripa-

DIALOGUS V.

23

ripathetica, sit Carthesiana, sit Neutoniana, quæcunque demum, atqué adeo solum dicis aliqua Philosophia non est inutilis, id pari proportione applica alteri universaliter neganti.

EUG: Nempé ut illam quoque falsam ostendam, non habeo opus dicere: Omnem Philosophiam esse inutilem, nec omnino Cartesianam esse inutilem, sed inutilem esse quamcunque atqué adeo tantum dico: *Aliqua Philosophia est inutilis.*

THE: Rem assequeris Eugeni, sed colloquium nostrum, longius etiam, quam voluimus excurrit, interim me cum privata quædam negotia, tum meditatio eorum, quæ tibi deinceps allaturus sum sibi postulant.

EUG: Nec mihi licet continuò philosophari, sed ut primum vacavero mox te conveniam: Qua vero de re sermonem instituemus.

THE: Sermo nobis erit deinceps de vario genere judiciorum, & propositionum, quantum utilitatis ratio, & brevitatis feret. Vale.



DIALOGUS V.

De Vario Genere Judiciorum

EUG: Salvus sis Theander, puto me tempori adesse, quo te otiosum, a reliquis curis nactus, in Philosophicas disquisitiones educere possim.

THE: Commodè ades etiamnum Eugeni, qui nunquam non commodè ades. In media nego-

tiorum turba, tibi ego semper otiosus, sum.

EUE: Hæc videlicet tua est insignis in me benevolentia, ut te tibi, quoqué ipsi ereptum mihi indulgeas. Sed enim quæ de propositionum vario genere dicenda promisisti, auspicare tandem bonus.

THE: Faciam omnino quoniam id te velle intelligo. Atque imprimis ipse fortasse observasti quasdam esse propositiones universales, quasdam particulares, quasdam verò singulares, prout nimirum, Idea pro subiecto propositionis allata, aut universalis est, aut particularis, aut singularis, inde enim illæ propositionum appellations nascuntur. Qua in re consule, si libet ea quæ de Idearum universitatè, particularitatè, & singularitate diximus.

EUG: Hæc mihi satis perspecta sunt.

THEAN: Quoniam verò universales ipsæ affirmantes sunt, & negantes, noveris Eugeni, id quod tibi suo loco, usui erit, in propositionibus universalibus affirmantibus distribui subiectum, videlicet pro singulis in sua extensione contentis sumi, contra non distribui attributum vg. cum dico: *Homo est animal* Subiectum homo sic resolvi potest, Et Eugenius & Theander & Aristoteles & Plato, & omnis denique homo animal est. *Praedicatum* tamen animal non potest distribui, neque enim dixeris homo est omne animal, id est, & bos & equus & Leo &c. sed tantum aliquod animal. At vero in propositionibus universalibus negantibus distribuitur, tam subiectum quam praedicatum ita dum dico *Nullus homo est brutum* sensus

DIALOGUS I.

24

sus est: Et hic, & iste, & ille, & omnis denique homo, nec hoc nec illud, nec nullum denique est brutum.

EUGEN: Quae enim vera origo tanti discriminis est?

THEAN: Ea ex superius dictis repetenda Eugeni: Nimirum supra declaravimus, propositionem affirmantem Logicè veram esse, tum dum attributum, sive prædicatum continetur, & includitur in subjecto, eique inest. Contra propositionem negantem tum veram esse cum prædicatum abest ab illo, neque in illo includitur. Cum igitur ad hoc ut *vg.* animal insit in homine, sufficiat quod aliquod animal, & si non omne in illo insit, hinc non distribuitur prædicatum, cum verò ad hoc ut brutum non insit in homine requiratur, ut nullum ex singulis insit, namquē si vel unum quodpiam brutum inest in homine, jam verum effet dicere. *Continetur brutum in homine* atque, adeo *homo est brutum* hinc distribuitur quoqué ipsum prædicatum in propositionibus universaliter negantibus. En exemplum Eugeni, ut verum sit: In tua capsā contineri nummum, non est necessē ut quidquid uspiam est nummorum, id est singuli ex toto orbe nummi inibi contineantur, sufficit ut unus quispiam insit in capsā.

EUGEN: Sentio equidem hoc secundum ita esse, at enim mallem primum.

THEAN: Liberaliter avarus es Eugeni. At ut verum sit in tua capsā non contineri nummum, necessē est nullum ex singulis quiquispiam sint in tua capsā includi, nam si inibi vel unus-

unusquisquam inesset, non amplius ex verò diceres, non tibi esse nummum in capsā.

EUGEN: Teneo jām satis arcanum Theander, quoniam illud mihi in capsam conjectisti.

THEAN: Etsi verè hic attuli, Eugeni exempla propositionum universalium, id tamen quod de prædicatis earum diximus applicandum quoquē est propositionibus, particularibus imo & singularibus, ubique nimirum propositio affirmativa, non attribuit totam prædicati extensionem sed partem illius, hoc est, quod diximus non distribuit prædicatum, sed potius disjungit, ubique verò propositio negans removet a subjecto totam extensionem prædicati, adeoque illud distribuit.

EUGEN: Id nimirum è superiore ubique principio nascitur.

THEAN: Verum etiamnum observa Eugeni, universales propositiones esse quasdam propriè tales, & nulla ratione restrictas, quasdam restitue universales, & in sensu morali dici. Prioris generis sunt huic similes *Omnis homo mortalis est alterius generis ut ista. Omnes Juvenes sunt leves, omnes senes sunt tetrici, Omnes aleatores maledici.* Quas ultimas intelligere debes, cum aliqua exceptione: ut sensus sit, plerumque, licet non semper id ita evenire, aut quod rebus, de quibus sermo est singularis semper insit cum attributo proportio.

EUGEN: Habesne verò Theander, plures species propositionum?

THEAN: Sane habeo, atque ut omittam multas, quæ per se patere, cuique solent, eas tantum

tum enarrabo, in quibus aliquid negotij inest. Sunt itaque propositiones quædam complexæ, quas etiam copulantes & copulativas vocant. Ut Aristoteles in veteribus, Carthesius in recentioribus, Princeps Philosophorum fuerunt, ubi vides junctas esse duas propositiones, nempe Aristoteles in veteribus fuit Princeps Philosophorum, Carthesius in recentioribus fuit Princeps Philosophorum. Ejusmodi propositiones ex pluribus compositæ non sunt veræ, si vel una propositio contenta non fuerit vera, ut vg. Philosophia & Eloquentia, medicina & chiromantia sunt utiles scientiæ, ac necessariæ, falsa est tota propositio complexa, quia falsam unam propositionem continet, nempe quod, Chiromantia sit necessaria.

EUGEN: Atqui Theander, aliæ propositiones contentæ veræ sunt, nempe quod Philosophia sit necessaria, & utilis, quod Eloquentia sit necessaria, & utilis, una quæ Chiromantiam spectat falsa est, cur igitur totam illam propositionem complexam seu copulantem falsam dicis.

THEAN: In vocis ambiguitate hæres Eugeni, totam propositionem complexam illam vg. quam attuli falsam esse dixi, non quod omnes in illa contentas propositiones falsas esse vellem, sed quod non omnes vellem esse veras. An verò id putas non sufficere ad hoc ut tota complexa falsa reddatur.

EUGEN: Id profectò me perplexum reddit!

THEAN: Etenim ut sufficere scias Eugeni, quæro ex Te: Is qui allatam propositionem, & similes tibi affert, non id agit ac si a te contuleret, omnia illa, quæ in unam propositionem

nem

nem complexam illigavit, esse necessaria atque utilia?

EUGEN: Hanc esse ipsius contentionem nullus dubito.

THEAN: Sed rursus hæc contentio five assertio. Omnia illa quæ in propositione complexa cernis, sunt necessaria atque utilia, non tibi tota falsa videtur.

EUGEN: Plane.

THAN: Tota igitur falsa est illa complexa, quantum quidem ad vim complexionis. nam si singula distingvas, & quædam quidem vera esse, quædam falsa pronuncies, recte id facis, sed complexionem tollis.

EUGEN: Recte te atqué me explicuisti Theander.

THEAN: Jam noveris Eugeni ejusmodi propositionibus complexis, opponi debere contradicentes disjunctivas. Disjunctivas propositiones illas voco, quæ quasi disjungunt ac diffundunt in complexa partes copulatas. Unde etiam copulantes efferimus voce particulaquæ, & &, disjungentes particula *vel vel*. Observa tamen id quod in una affirmatur, in altera negari debere, ut contradicas.

EUGEN: Itaque illi propositioni complexæ. Et Philosophia & Eloquentia & Chiromantia est necessaria atque, utilis, contradicit ista disjungens: *vel* Philosophia, *vel* Chiromantia, non est necessaria atqué utilis.

THEAN: Divinasti, verum enim vero disjunctivas duplicitis esse generis, monitum te hic velut per transennam volo, ut alio loco utilem hanc

DIALOGUS VI.

28

hanc esse disjunctionem intelligas.

EUGEN: Quæ verò illæ.

THEAN: Aliæ quæ constant partibus se omnino excludentibus, quarum si unam removeas, alteram acceptes est necessæ, aut si unam acceptes, alteram removeas. Ut: Eugenius aut vigilat aut dormit. Si dicas & vigilare, non igitur dormit, si dormit non igitur vigilat, si non vigilat, igitur dormit, si non dormit igitur vigilat. Aliæ disjunctivæ sunt, quarum partes non ita se mutuo retundunt. Aut inferunt, in quarum exemplis non est opus immorari.

EUGEN: Intelligo satis discrimen inter utræque.

THEANDER. Mitto plures propositionum species enumerare tibi Eugeni, in quibus noscendis, nulla specialis difficultas, atque utilitas inest, sed primò quoqué tempore afferam tibi explicationem eorum judiciorum, quæ aliis veluti norma sunt, & amissis videlicet definitionis & divisionis.

EUGENIUS. Perges procul dubio de me bene mereri Theander, ut adhuc fecisti: interim ab ea quam mei causa suscepisti defatigatio quiesce.

DIALOGUS VI.

De definitione & divisione.

THEAN: Satis captum est quietis Eugenii, jam ad ea quæ proposuimus explican-

explicanda nos conferamus.

EUGEN: Definitionis & divisionis naturam explicaturus eras.

THEAN: Definitio Eugeni, est oratio explicans naturam rei, nempé quid illa sit, quoqué ab aliis distingvatur. Itaque constare debet imprimis *genere* quod respectu rei, quam definis, fit, quantum fieri potest, ultimam sive minimam habens extensionem, & universalitatem, & *differentia prima*. Ita cum dico. Homo est animal rationale: animal est genus, est enim notio communis pluribus & est ultimum, saltem respectu hominis, homo species respectu animalis est infima, non genus. Vide tabulam primam, superius inter ideas universales allatam, *Rationale* vero est differentia, differt enim per id homo ab aliis animalibus.

EUGEN: Quid verò per differentiam imam intelligis.

THEAN: Differentia prima est, quasi radix cæterarum differentiarum, ita in homine est differentia, potentis admirari, potentis videre, sed horum radix est ratio seu potentia cognoscendi. Prius enim rem cognoscimus, deinde admiramur & ridemus.

EUGEN: Ad quid necesse est genus, omnino ultimum in definitione adhibere.

THEA: Si enim adferas genus ultimum, adferas quoque alia magis universalia, nam hæc secundum superius dicta, in comprehensione illius inesse debent. Si verò non ultimum & magis universalè afferas, sæpè illud ultimum, ut potè in universalioris comprehensione non con-

DIALOGUS III.

31

tentum, omittis. Sic in superiori definitione hominis dum dicis *animal* dicis quoque *substantiam*, at si substantiam dices non dum animal adferres, omne siquidem animal, est substantia, non omnis substantia; etiam si addas rationalis, est animal. Est siquidem Deus substantia rationalis nempe cognoscens, & intelligens, non tamen animal quemadmodum Angelus quoqué.

EUGEN: Unde verò sciam, quodnam sit rei cuiuspiam ultimum genus, aut differentia prima.

THEAN: Ut id noscas debes te conferre ad eas scientias v. artes, quæ in earum, rerum, quas definis cognitionem descendunt.

EUGEN: Non igitur Logica id universim præstare potest.

THEAN: Sané non, nisi in iis, quæ ipsius negotij propria sunt, & docere quidem tum ea, quæ iam docuimus, tum cætera quæ ad exactas definitiones requiruntur, leges ac regulas in eum finem præscribere Metaphysicæ potius, quam Logicæ esse putaverim, cum enim Logica, circa solam veritatem consequentiæ, seu Idearum inter se convenientiam versetur, nihilquè ad earum cum rebus externis conformitatem respiciat, planè hæc extra Logicæ negotium sunt. Verum ista Eugeni plenius alio loco intelliges, nunc communi more ne singulares esse in re usitata affectemus, loquamur.

EUGEN: Quæ igitur aliæ definiendi regulæ afferri solent.

THEAN: Parum interest ut in iis enumerandis

dis laboremus. Id universim tene, ubi tu alteri, seu tibi quispiam, rei definitionem claram & distinctam attulerit, eam recipi pro legitima posse & debere.

EUGEN: Videris mihi Theander, ad hoc in definitione rei hæfisse, at enim aliam esse nominis seu definitionem vocis audiveram.

THEAN: Optimè hujus admones Eugeni, in ejusmodi definitionis usu, summa inest utilitas, cum in omni vita ac Societate humana tum, in Philosophicis disputationibus. Nimirum plerumque contentiones, in unius voculæ homonimia sitæ sunt, cuius si recte sensum explicueris, ac significationem distinxeris litem deremisti totam.

Disputatum est longo tempore inter Veteres ac Recentiores Philosophos, utrum calor, color, ac cætera ejusmodi, sint in rebus ipsis an tantum in nobis. Affirmabant illi constanter, isti pertinaciter negabant.

EUGEN: At enim qua ratione dissidium istud componendum.

THEAN: Distingue voculas istas calor, color & quid vg per calorem intelligi debet. An sensatio et perceptio nostra jucunda illa & grata, dum temperata est & mediocris, ingratâ vero, atque etiam acerba, dum nimia ac vehemens, nemo ex vilissima plebe fuit unquam, qui hoc sensu calorem igni aut soli tribuerit, quæ ut vitæ, sic sensationis expertia sunt. An certè per vocem caloris illa designatur in re extra nos posita, five qualitas, five facultas, five dispositio, quæ apta reddatur ad sensationem in nobis

nobis excitandam, hac potestate calor negari igni & soli, & reliquis denique corporibus natura calidis non potest. Idem de colore, idem de reliquis plerisque sentiendum est.

EUGEN: Quid vero de Divisione sentis.

THEAN: Divisio est distinctio & distributio totius in partes suas. Ejus utilitas in eo sita est, quod facilius perspici faciat singulas partes, quam unam simul omnium veluti turbam.

EUGEN: Sed enim Theander, si nulla idea est quae in alias dividi non possit, nunquam finem dividendi ficeremus.

THEAND: Non, Eugeni non debet divisio in singulis partibus enumerandis desudare, sic enim obrueret multitudo mentem, non illustraret. Sed præcipuas afferat partes necessæ est, ex quibus liquidò cæteræ inferri, & declarari possint, quæque una compositæ atque collectæ, totam unam, ac integrum ideam efficiant.

Ex hac observatione neglecta multæ vitiofæ divisiones contingunt. Ita dividere homines in Poetas & Musicos, vitium est, quia in unum collecti Musici & Poetæ non efficiunt integrum numerum hominum, extra Musicos enim & Poetas sunt alii.

Neque ritè divisoris homines in Eruditos & rudes, dantur enim medii inter utrosque.

EUGEN: Intelligo satis & utilitatem & rationem divisionis.

THEAN: Hujusmodi porro divisione instituta Eugeni, vide rursus, ne in vulgarem scopulum impingas.

EUGEN: Quis ille? doce Theander.

LOGICÆ PRIORIS

34.

THEAN: Est ille, attribuere quidpiam toti, quod non nisi uni alterique totius parti convenit seu veteres Poëtas, præstare dixeris recentibus, seu recentes veteribus ex equo erras. Nec enim omni genere Poeſeos, sed tantum aliquo, & hi illis, & illi vicissim his præstant. Divide igitur ac distingue genera Poeſeos, & suum cuique tribuas. Sunt quædam Poeſeos Epicæ opera veterum, quibus recentiora concedere debent, sunt veterum satyræ nonnullæ recentibus exquisitissimis pares. At in tota antiquitate nihil comicum, aut tragicum forte reperies, quod cum selectis quibusdam Cornelii & Molierii actionibus componi possit.

EUGE: Nimirum sic plerumque in singulis ferme hominum usibus intelligo Teheander adhiberi debere ejusmodi divisionem seu distinctionem. Nunquam ferme licet absolute & sine ulla restrictione loqui, addendum semper, *Quod attinet ad hoc*, non item *quod attinet ad illud* Erratur plerumque & impune sibi contradicitur hac distingvendi ratione neglecta. Audies quosdam absolute loqui. Hic homo eruditus est, alios contra non est eruditus. Divide eruditionem in suas partes. Is idem de quo sermo est, eruditus erit fortasse, ab una scientia & arte, non item ab alia, aut omnium fortasse scientiarum & artium tantum habebit, quantum ad vitæ utilitatem spectat, non quantum ad scholæ subtilitatem.

THEAN: Sapienter Eugeni philosopharis omnino. Sed nos *3tia* demum operatio mentis ad se vocat, quam proximò colloquio expediemus.

Interim

DIALOGUS VII.

35

Interim vale meque cum licuerit revise.

EUGEN: Adeo tua benignitate fretus, etiam fortassis importunè:



DIALOGUS SEPTIMUS

De tertia mentis operatione

THEAN: Pervenimus tandem Eugeni ad *ztiam* mentis operationem, ad quam duæ priorcs, tanquam ad metam sibi destinatam tendebant.

EUGEN: Memini te dixisse, ejusmodi *ztiam* operationem esse judicium, ex alio judicio eratum, atque deductum.

THEAN: Rectè meministi, at quoniam sæpe contingit, ut untum judicium ex alio non rite colligatur, huic Logica incommodo obviat, per artificium quoddam quod vulgo sylogismum vocant.

EUGEN: Audies multos, nescio quod divinum in ejusmodi artificio suspiciētes, atquè etiam celebrantes Theander, illud mihi mirari quidem licuit, non perinde assequi.

THEAN: Ingeniosum illud esse nemo inficiari posset Eugeni, etenim omnino necessarium esse, quod vulgo creditur, tantum abest, ut ipse censem, ut sæpe etiam inutili in communi faltem vitae usu, ac ratione deprehendam, si ad formandam ratiotinationem opus esset, toties quoties ad regulas filologismi attendere, quando tandem ratiocinaremur. Eveniret id profecto nobis, quod iis, qui ad saltum ex arte institu-

endum consulere vellent, omnem Mechanicæ artem ad pedes commovendos. Omnis prius vita efflueret quam saltare possint. Lumen ipsum rationis, mentibus nostris ingenitum, facit ut possimus & soleamus rectè rationari sine ulla cognitione artis syllogisticæ, imo etiam sine notitia, an ejusmodi ars alicubi in mundo reperiatur.

EUGEN: Quid igitur in illa explicanda tanto labore & conatu schola fervet.

THEAN: Nimirum ut argumenti captiosi quirite factam ratiotinationem, tanquam simia mendaciter imitatur fallaciam, refellat & syllogismi laqueis dissolvat.

EUG: Quid igitur est syllogimus.

TH: Est discursus Eugeni ex tribus propositionibus constans, quæ ita sunt alligatae, & inter se connexæ, ut acceptatis duabus *imis*, cogatur quispiam, ac debeat acceptare *ztiam*. Ita si quis admittit has duas propositiones. *Omnes aulici sunt politici, omnes politici, norunt sibi ipsis vim inferre.* Opus est ut hanc quoque admittat. Igitur *omnes aulici norunt sibi ipsis vim inferre.*

EUG: In quo vero putas ea vis consistit, qua ita primæ propositiones inter se connectantur, & ex iis omnino *ztia* consequatur.

TH: Antequam tibi id aperiam Eugeni, quæramus imprimis quid singulæ propositiones in syllogismum collectæ dicuntur atque sint. Ac imprimis *ztiam* propositionem inspiciamus, hæc itaque princeps est, quam consequentiam & conclusionem vocant, cui duæ priores inserviunt

DIALOGUS VII.

37

serviunt & famulantur. Non enim syllogismos construimus nisi ut aliquem ad *3tiam* propositionem admittendam adigamus.

EUG: Quæ autem major, quæ minor existimanda est?

TH: Sunt qui majorem illam esse volunt, in qua reperitur *major terminus* sive *majus extremum* minorem verò in qua *minor terminus* sive *minus extremum* continetur.

EUG: Nequé majora ista extrema, neque minoria capio.

TH: Revoca tibi in memoriam Eugeni, quod superius diximus, omnem propositionem constare subjecto & prædicato. Jam conclusio syllogismi cum sit ipsa propositio, constat quoqué subjecto & prædicato seu attributo.

EUG: Ista profectò satis teneo.

TH: Itaque prædicatum conclusionis noviris majorem terminum, seu *majus extremum*, ejusdem vero subjectum minorem terminum, seu *minus extremum* vocitari; ex eo fortasse, quod attributum, sive prædicatum majore extensione subjectum contra minore præditum sit.

EUG: Intelligo tandem Theander quo respectet.

TH: His ita expositis Eugeni, enjam cur dum veræ sunt præmissæ aut pro veris admissæ, necesse fit veram quoque esse conclusionem ac pro vera admitti. Nimirum conclusio æquivalenter in præmissis continetur, Unde qui acceptat præmissas, acceptare quoqué conclusionem tenetur. Iterum hic tamen redeamus in memoriam eorum, quæ superius attulimus:

nempé, tum veram esse propositionem, cum attributum continetur & includitur in subiecto, quod intelligi semper debet de utriusqué, comprehensione. Cum igitur in syllogismo nihil aliud agitur, quam ut ostendatur conclusionem esse veram, nihil quoque aliud agitur, quam ut ostendatur, quod attributum conclusionis includatur in subiecto, ejusdem.

EUG: Sentio me pedetentim in ipsa quodammodo syllogismi penetralia deduci a te Theander, atque nisi fallor, eo perveniemus, ut ipsum illud tandem arcanum, quo fit, ut conclusio in præmissis contineatur, atque quod admis-sas præmissas admittere cogit conclusionem aperias,

TH: Optimè colligis Eugeni, in hoc rei cardinem verti, & hunc nobis solum restare actum. Accipe igitur, quomodo id tandem efficiatur, ad ostendendum quod idea subiecti, conclusionis contineat ideam prædicati, asseri-tur *3tio* idea, veluti media, quam etiam me-dium terminum vocitant. Afferiturque impri-mis, in prima præmissa, quod idea subiecti conclusionis, contineat ideam medium, deinde enuntiatur, in secunda præmissa quod idea me-dia contineat, ideam prædicati conclusionis.

EUG: Nimirum jam hic æquivalenter latet, quod ego temperare mihi non possum, quin aperte pro conclusione inferam: igitur idea subiecti conclusionis, continet in se ideam præ-dicati conclusionis.

TH: Ne tu Ædippus es Eugeni. Nimirum dum res *1ma* continet *2dam* & *2da* con-tinet

tinet *3tiam* necesse ut *1ma* *3tiam* contineat.
Vides istud marsupium, non omnino nummis
vacuum Eugeni.

EUG: Evidem video.

THEAND: Mitto illud isthuc in meam capsam,
& quero ex te, putasne capsam mea continet
nummos? Ita inquis, at unde istud? Videlicet
capsa continet marsupium, marsupium con-
tinet nummos, igitur capsam nummos continet.

EUGEN: Uterque quod nostrum est tenemus
Theander, tu marsupium, ego syllogismum. At
enim rem in aliquo syllogismo particulari tente-
mus,

THEANDER: Aequum petis. Esto hic syllo-
gismus.

Omnis verus Christianus est vir probus

Omnis vir probus est laude dignus.

Igitur omnis verus Christianus est laude dignus

Quomodo ostendis Eugeni conclusionem esse
veram.

EUGEN: Oh oh mi Theander, nec marsupium
hic, nec capsam profecto, neque nummos video.

THEAN: Hæres? o te hominem! at enim vi-
des, ideam subiecti, & ideam prædicati, con-
clusioñis? rursus vides.

EUGEN: Cessa quæso, lux aliqua mihi cœpit
oboriri: Conclusio vera est, si idea subiecti
nempe *veri Christiani* continet ideam prædicati
conclusioñis, nempe *laude digni*.

THEANDER: Rediisti in viam. Perge por-
ro, quo probas, ideam *laude digni* contineri in idea
veri Christiani?

EUGEN: Profecto nunc apud me sum affu-

mo ideam *ztiā*, nimirum *viri probi* assero in una propositione, quod idea subjecti conclusio-
nis, nempe *veri Christiani*, contineat in se ideam *ztiā*, medium, nempe *viri probi*, tum in altera propositione enuntio, quod idea *ztiā* me-
dia, videlicet *viri probi*, contineat in se idea prædicati conclusionis, scilicet idea *laude digni* denique concludo in *ztiā* propositione quod idea *veri Christiani*, contineat in se ideam *laude digni*.

THEA: Videsne Eugeni quomodo & capsæ & marsupium & nummi redierunt.

EUGEN: Tamen adhuc nescio quæ menti du-
bitatio insidet, alias mihi videtur propositiones,
syllogismus a te allatus habere, & diversas ab
iis, quas ipse formavi.

THE: Ita neverò? hominem tu alio atque
alio habitu indutum diversum esse putabis?

EUG: Non equidem.

THEAN: Nec igitur diversas propositiones puta, quæ diversa vocum & sermonis expres-
sione vestiantur. Quid? qui dicit omnis verus
Christianus, est vir probus, nonne idem dicit,
ac si affereret, in idea veri Christiani, contineri
ideam *viri probi*? Qui dicit, omnis vir probus, est
laude dignus, non is contendit in idea *viri pro-
bi*, contineri ideam *laude digni*?

EUGEN: Define iam, define rem claram plu-
ribus persequi, & hæc eadem esse, & me ex-
tremo vestitu deceptum esse intelligo.

THEAN: Tanti est Eugeni, te semel errasse,
ne pluries olim labaris. Mille sunt proposicio-


DIALOGUS VIII.

41

num in voce, & sermone expressiones, tu sensum attende, eâdem ubique ratione syllogismos expende, noli timere, ne offendas.

EUG: Eadem ne omnino expedendi ratio singulis syllogismis idonea est?

THE: Ita certum habe Eugeni, atque ut id experiendi, seu te cum ipse, seu cum alijs, quos in hac arte versatos noveris, otium habeas, præsenti colloquio finem faciamus Vale.



DIALOGUS OCTAVUS

De Regula Superiori omnibus syllogismis accommodanda

THEAN: Tandem ades diu expectate Eugeni, nec vacuus fortasse dubitationum super ea regula, quam omnibus syllogismis præscripsimus.

EUG: Rem assequeris Theander, ut primum te reliqui, accessi hominem, in veteri Philoſophandi Palestra, ut optimè versatum, sic illi eo usque addictum, ut tibi mihi que palam succensuerit, quod relicto ſcholæ instituto, ejusque regulis, quas & ingeniosas & certas, & ab omni antiquitate, tum Recentiorum quoque sapientissimis collaudatas prædicabat, repudiatis novum neque tritum iter ingressi, aliam a communi abhorrentem, syllogismis expendendis amuſim admoveamus, quæ neque inge- nio, neque certitudine, cum ea, quam adhuc ſcola usurpayit conferri poffit.

THE-

THEAND: Communis illa & scholæ usitata syllogismos expendendi, ratio sit ingeniosa Eugeni, sit a multis, sit a plurimis collaudata, ideo ne despicies novam, & paucis adhuc cognitam, si ea tantum, atque etiam amplius ad finem utilitatemque tuam, quam prior illa valeat? at enim absque dubio, longe etiam plus vallet. Reiectis enim tot difficultatibus, quibus communes Regulæ redundant, longa etiam eorundem explicatione omissa, ad unam omnia regulam per se claram, in medioque positam nullo ferme negotio exigere, ac revocare, id tibi parum utilitatis habere videtur?

EUG: At enim ingeniosiora esse quæ schola assert, dicunt.

THE: At enim quæ offerimus utiliora sunt.

EUGEN: An igitur de ingenio concedis.

THEAN: Ne hoc quidem Eugeni. In quo enim ingenium illud suum reponunt in longis ambaibus, in obscuris regulis, in prolixa Regularum explicatione, quibus omnibus mens discentium gravatur, memoria obruitur, deprimitur animus, tempus, & descendit ardor inaniter consumitur, si id est ingeniosum esse Eugeni, nolim tantô meô, tantô tuî, tantô aliorum danno, hanc mihi laudem comparare. Sat enim duos tibi fac Eugeni artifices, mente depinge, unum, qui ad opus aliquod arduum perficiendum elaboraverit machinam, multo opere, multa industria, multa elegantia constantem, sed quam tractare non minus difficile sit ac ipsum illud, cui efficiendo destinata est, opus efficere. Alium minus laboris, minus temporis, minus
folertiae

solertiæ consumpfisse sed invenisse tamen machinam, quæ quantumcunque rudis videatur, aptissima fit nihilominus, maximamque præbeat facultatem, ad operis conatum, nullo ferme negotio, & summa facilitate expediendum. Uter tibi commodiore ingenio esse videtur.

EUGEN: Intelligo Theander te id agere, ut tuam pro syllogismis expendendis regulam, ab eo maxime commendes, quod facilior magisque expedita fit, At nisi illam certam esse, universimque pro omnibus syllogismis valere ostenderis, non illam satis ab iniuriis, quibus exposta est defendes.

THEAN: Certam esse, eritne quispiam ex ipsis adversariis, qui dubitet, quando ii ipsi quibuscumque tandem regulis nitantur, nostram veluti basim, omnibus omnino syllogismis assignant. Quod enim illud est ipsorum principium: *Quae sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se, nisi idem atque istud. Quae duæ ideæ sunt idem cum una 3tia, sunt quoque idem inter se.* Præterquam quod Regula nostra assignet particularem rationem, & omnino necessariam, qua duæ ideæ debent cum tertia conjungi, ut rite inter se conjungantur, quam non affert illud scholarum, quod tamen pro certissimo recipitur axioma. Neque enim ut duæ ideæ sint, idem inter se, sufficit illas quomodounque cum 3tia componi, sed necesse est ut 3tia idea unam quidem ex duabus in se contineat, in altera vero ipsa contineatur. Quamvis enim duæ aut tres personæ Divinæ idem sint cum una Deitate non sequitur tamen, illas esse idem inter

inter se, nimirum, quia non ita sunt idem cum
3tia ut opus esse diximus.

EUGEN: Verum enimverò, Theander, instru-
ctus sum a quibusdam syllogismis, quibus tua
Regula qui aptari possit non reperio.

THEAN: Profer illos Eugeni.

EUGEN: En istum.

Nullus sp̄iritus est Corpus

Omnis Angelus est spiritus

E. Nullus Angelus est Corpus

An rectum esse syllogismum negas?

THE: Omnino probum video

EUG: At enim cum tua Regula plane non
congruit, igitur vitiosus sit oportet.

THEAN: Unde probas cum mea illum regu-
la non congruere

EUGEN: Faciam ut istud plane perspicias.
Secundum tuam Regulam imprimis dicendum
est. Ideam medianam contineri in idea subiecti.
Conclusionis, deinde dicendum ideam attributi
conclusionis contineri in idea media, tum de-
nique recte colligi in idea subiecti conclusio-
nis contineri ideam prædicati hoc peracto vi-
dendum etiamnum, utrum propositiones secun-
dum tuam Regulam factæ constent eodem sen-
su, quo propositiones syllogismi qui expenditur
si enim vel una propositio sensu discrepat, jam
aut non idem syllogismus erit, aut falsus.

THEAN: Recte ais:

EUGEN: Sequamur iam igitur tuæ Regulæ
ductum in superiore syllogismo expendendo.
Statim in subiecto conclusionis quod est *Ange-
lus* includo ideam medianam quæ est spiritus, sicut in
idea

idea Angeli, continetur idea spiritus.

Recte idem sensus est atque dum dico omnis Angelus est spiritus, quæ est 2da superioris syllogismi propofitio tum includo in idea media, quæ est spiritus, ideam prædicati conclusionis quæ est *Corpus*, at quomodo includam, licet ne dicere, *in idea spiritus continetur idea corporis?* En propositionem falsam, quæ nulli ex prioris syllogismi propositionibus, sensu respondeat, imo uni è regione sit adversa huic scilicet *Nullus spiritus est corpus.* Quid ad hæc Theander? Expedi te atque me si potes.

THEAN: Quid quid sit de hoc quem attulisti syllogismo, Eugeni, at enim habes a mè alterum hunc videlicet:

Omnis spiritus est aliud quam corpus

Omnis Angelus est spiritus

E. Omnis Angelus est aliud quam corpus

EUGEN: Quid tum.

THEAN: Vide quam optime ad meam regulam reducatur. Imprimis enim in idea subjecti conclusionis scilicet *Angeli* continetur idea media nempe *Spiritus rufus* in idea media, idest spiritus, continetur idea prædicati conclusionis, nimirum aliud quam corpus, aut non corpus. Igitur postremo in idea Angeli continetur idea *non corporis* sive *alterius* quam corpus.

EUGEN: Fateor istud tibi e sententia fluere, tamen in meo syllogismo, tua cespitat Regula.

THE: Captus es Eugeni, iterum tu eundem hominem alia veste indutum, alium esse reputas. Age meum cum tuo syllogismo, tui propositio-

positiones, cum propositionibus mei colloca,
eas ad unguem inter se congruere, quovis te-
cum sacramento contendam.

EUGEN: Istud si effeceris Theander, vicisti.

EUGEN: Effeciam profecto imprimis in meo
syllogismo habeo propositionem.

Omnis spiritus est aliud quam corpus
Tu quoque in tuo, habes plane eandem.

Nullus spiritus est corpus

Altera mei syllogismi propositio est

Omnis Angelus est spiritus

Quam ne voculam quidem immutata, apud te
quoque vides tandem quod ego concludo.

Omnis Angelus est aliud quam corpus

Tu nihilo aliter infers.

Nullus Angelus est corpus.

EUGEN: Profecto Theander feliciter tu ex
his qui mihi magni videbantur fluctibus enavi-
gasti, at vide ne in aliis fatiscas.

THEAN: Nihil metuo Eugeni.

EUGEN: Expendamus hunc syllogismum.

Aliqua ira non est peccatum

Omnis ira est affectus animi

E. Aliquis affectus animi non est Peccatum

THEAN: Probus est syllogismus.

EUG: At tuæ Regulæ non videtur consentire.

Nam quoniam & superius monieras, proposi-
tiones negativas æquivalere sensu quibusdam
affirmativis, & eas proximè in expendendis syl-
logismis, in affirmantes quibus æquivalent,
converti voluisti, id in allato syllogismo facia-
mus. Sic igitur erit.

Aliqua

Aliqua ira est immunis a peccato

Omnis ira est affectus animi

E. Aliquis affectus animi est immunis a
peccato

THÉAN: Sane: sunt eadem propositiones
quo ad sensum.

EUGE: Admoveamus jam tuam Regulam or-
dine superius præscripto.

In idea alicujus affectus animi continetur idea
iræ.

THÉ: Est propositio æquivalens sensui huic,
Omnis ira est aliquis affectus animi: Quæ est
secunda propositio syllogismi.

EUGEN: At enim quomodo Theander, po-
tius in idea iræ ut pote minus universalis juxta
superiorem Doctrinam continetur idea affectus
animi, ut pote magis universalis, non contra.

THÉAN: Cur vero non totam hoc supe-
riorem doctrinam applicas? Id quod attulisti.
Verum est de comprehensione idearum, meum
quod attuli, verum est de extensione, atqué
ista sibi æquivalere, tum ego satis superius in-
dicavi tum communis vocum ipsarum usus do-
cet, sive dixeris.

Omnis ira est affectus animi.

Sive adjecta prædicati disjunctione, quoniam
supra monui, in propositione affirmante, non
distribui prædicatum, sed disjungi sic transpo-
fueris.

Aliquis affectus animi est ira
Item dicis, prior propositio, habet sensum de
comprehensione hunc.

In comprehensione ideæ iræ continetur com-
prehension-

prehensio ideæ affectus animi.

Secunda propositio habet sensum de exten-
sione hunc, in extensione ideæ affectus
animi, continetur idea iræ, sensum eundem o-
mnino efficiunt.

EUGEN: Superasti hanc difficultatem Thean-
der, at enim alia meo iudicio validior ingruit.
Pergamus etenim ad alteram propositionem,
quæ in allati syllogismi expensione, e tua Re-
gula hæc erit.

In idea iræ continetur idea immunis a
peccato.

Hæc propositio Theander undecunque illam
intuearis, nulli ex propositionibus syllogismi,
qui expenditur æquivalet, est enim falsa, tum
ibi contra, omnes sint veræ. si enim in idea iræ
contineretur immunitas a peccato ubicunque
esset ira ibi etiam immunitas a peccato ines-
set. atque alia omnis ira esset immunis a pec-
cato, quod nemo est, qui falsum esse, non vi-
deat.

THEAN: Recte argumentaris Eugeni, sed
vide quid tibi iste syllogismus videtur.

Aliquod immune a peccato est ira

Omnis ira est affectus animi

E. Aliquod immune a peccato est affectus animi
Estne tuus a tuo dis similis.

EUG: Mei quidem propositio prima est hæc
Aliqua ira est immunis a peccato, tui contra.

Aliquid immune a peccato est ira.

THEAN: Quid tum.

EUG: Quantum usum sermonis latini assequor
altera ab alterius sensu non abludit. Secunda
mei

DIALOGUS VIII.

49

mei & tui syllogismi propositio est eadem. Tertia, apud me est. *Aliquis affectus animi, est immunis a peccato.* Apud te vero, *Aliquod immune a peccato est affectus animi utraque fateor in eandem sententiam congruit.*

THEAN: Jam nunc regulæ nostræ amissim admove, aut vide quomodo ipse admoveam.

In aliquo immuni a peccato continetur ira.

In ira continetur affectus animi.

E. In aliquo immuni a peccato continetur affectus animi.

Non tibi hic iterum Eugeni capsā & marsupium redeant?

EUGE: Sentio profecto me ex tuis capsis elabi non posse. Tamen fac omnes observationes, quibus regula tua nititur, in unum college, etiamnum enim novam mihi, & ad huc non auditam attulisti, cum subiectum in locum prædicati, prædicatum contra in locum subiecti, in duabus propositionibus, primâ videlicet & ultimâ transposueris.

THEAN: Æquum postulas Eugeni: primum itaque si syllogismus fit negativus, illum affirmativum æquivalenter redde, deinde incipiendo a subiecto conclusionis, dic in ejus comprehensione ineludi ideam medium, tum in comprehensione ideæ mediæ, includi ideam prædicati conclusionis. Jam ut vides sequitur conclusio, qua ideam subiecti conclusionis, cum idea prædicati conjunges. Postremo denique si hunc aliqua conclusio procedendi modum & ordinem non patietur, transpone illius subiectum & prædicatum, unum in locum alterius, servatis iis-

D

dem

dem affectionibus utriusquè ut sensus idem maneat.

His omnibus institutis, vide an propositiones a te formatæ eodem constent sensu, quem habent propositiones, quas expendis. Si enim sensu discrepent, argumento erit syllogismum non fuisse rectum, & illationis bonitatem, externa tantum vocum apparentia fuisse mentitum. Quales syllogismi sophismata vocantur.

EUG: In quo sophismatum fallacia consistit?

THE: In solis vocibus Eugeni, ex quarum ambiguitate fit, ut non eadem Ideæ usurpentur, fiantque plures quam tres, eaque disflusæ neque se ex ordine mutuo includentes. Cum in syllogismo tantum tres esse debent. Ut duæ inter se propterea conjungantur in conclusione, quod in præmissis cum una tertia rite sunt conjunctæ. Dum enim duo quædam cum diversis non cum uno eodemque tertio conjunguntur, quemadmodum fieri potest, ut illa diversa inter se non sint conjuncta, ita non sunt apta ad duorum inter se conjunctionem faciendam.

EUG: Perspicio ista Theander, at enim cedo exemplum alicujus sophismatis.

THEAN: En tibi unum ex difficillimis.

Qui multim bibt sitim extingvit

Sed qui falsa manducat multum bibt.

Ergo Qui falsa manducat sitim extingvit.

EUG: Profecto ut insolens conclusio sit, videtur recte ex præmissis descendere: Applico enim regulam. In idea falsa manducantis, est idea multum bibentis, sed in idea multum bibentis, est idea sitim extingventis. Ergo in idea Salsa manducatis, est idea sitim extingventis.

Sentio

DIALOGUS IX.

51

Sentio Theander fallaciam, neque tamen ubi sit reperio. Sed si quid divinare possum istud *multum bibit*, diversa significazione usurpari videtur. In prima enim propositione, *multum bibit*, pro se ipso sumitur, sive pro ipsa multa potatione, in secunda vero propositione, sumitur pro causa, cur *multum bibat*, ita ut secundæ propositionis sensus sit qui falsa comedit *ponit causam cur multum bibat*. Quod si eodem sensu in prima propositione sumeretur haberemus statim propositionem evidenter a vero alienam, exiret enim ista *qui ponit causam cur multum bibatur is extinguit sitim*. Qua nulla magis falsa est.

THE: Omnia affecutus es, ac tenuisti Eugeni restat, ut aliquod de syllogismis quos hypotheticos vocant, & item de disjunctivis dicamus, ne quid a nobis ad absolutionem operis desideretur. At quoniam sermonem ne cogitantes quidem longius quam par erat produximus, conquiescamus tandem aliquamdiu necessè est Eugeni.

EUG: Optimum factu decernis Theander, conquiescamus.

DIALOGUS NONUS

De syllogismis Hypotheticis & Disjunctivis.

EUGENIUS: Ubi a te digressus sum Theander mirari mihi venit in mentem, cur syllogismis hypotheticis ac disjunctivis explicandis peculiarem operam impendere proposueris, quando ii ad unam quam omnibus

omnibus syllogismis præscripsisti regulam revo-
candi erant, cur enim id non facias.

THEAN: Faciam istud omnino Eugeni, sed una quoque quædam de ipsis peculiaria adferam, qui si ea tibi commodiora videbuntur, qnam ut ad generalem regulam recurrere cogaris, illis tuo bono arbitrioque utaris.

EUG: Tu quidem, ubique tui similis es, non in philosophando solum, sed etiam in me complectendo, qui tuus incredibilis erga me amor est Theander sed age, imprimis hypothetici ac disjunctivi syllogismi rationem explica.

THEAN: Syllogismus imprimis hypotheticus est, cuius prima propositio enuntiat quidpiam sub adjecta conditione sive hypothesi, ut est iste.

Bonæ artes merentur studium viri honesti,
si animum ac ingenium excolunt

At enim omnino excolunt

Igitur viri honesti studium merentur

Vides profecto Eugeni quomodo in ejusmodi syllogismis conclusio contineatur in prima propositione, sed ad aliquam conditionem adstricta, igitur altera propositio neceſſe habet, ut afferat conditionem per hypothesim esse veram, quod ubi fuerit, quoniam veræ ac rectæ sunt præmissæ, conditio quoque sequitur ac vera erit. Atque hæc est unica ratio in ejusmodi syllogismis rectè concludendi, quod si quidpiam aliud in secunda propositione, non hypothesis veritatem enunties, labetur syllogismus neque rite colliget illationem, ita dum dicas.

Si ver

DIALOGUS IX.

53

Si ver est flores quoque sunt

Sed est ver

Ergo flores sunt

Recte colligis, muta secundam propositionem,
atque sic infer.

Sed flores sunt

Ergo ver est

Totam consequentiam disturbasti, esse
enim flores possunt, quamvis ver absit,
ut in autumno quoque contingit. Hæc porro
de syllogismis ejusmodi intelligo, qui in con-
clusione id inferunt quod sub hypothesi late-
bat in majore, quod si conclusio procedat de
ipsa hypothesi, sub qua major aliquid affirma-
bat id, quod negative concludi solet, minor
negare debedit id, quod in majore affirmaba-
tur. Sit idem exemplum. *Si ver est flores*
sunt: Est major propositio. Vis negare in con-
clusione ver esse, nega in minore flores esse,
Quod si negaveris in minore ver esse, male
colliges in conclusione flores quoque non esse,
possunt enim flores esse absque vere.

EUG: Rem in medio posuisti Theander, sed
ad universalem regulam, quomodo ejusmodi
syllogismos revocabis?

THEAN: In ijsdem exemplis sic faciam Eu-
geni. Priori syllogismo hanc majorem substi-
tuam.

Quidquid animum ac ingenium excolit, illud
studium viri honesti meretur. Hæc enim pro-
positio in illa hypothetica *bonae artes omnino*
continetur, nec vera esset illa hypothetica nisi
hujus veritatem tacite innueret secundo syllo-

gismo hanc primam propositionem perfice.

Omni vere sunt flores

Subiice sequentes propositiones, easdem, ut superius integrum habebis syllogismum.

EUGEN: Jam mihi hoc satis patet arcanum, ad disjunctivos te syllogismos confer.

THEAN: Syllogismus disjunctivus est Eugeni cuius prima propositio disjunctiva est, sed ita disjunctiva, ut quod superius dum in propositionum argumento versaremur monui, partes disjunctæ se mutuo excludant, neque altera alterius confortium patiatur. Sic iste

Actio Ciceronis Catilinam expellentis vel pia fuit vel impia vel indifferens.

Atqui fuit pia

E. Neque impia fuit neque indifferens

Vel certe servata eadem majore sic.

Fuit impia

E. Neque indifferens fuit nec pia.

Postremo si vis ita dices Fuit indifferens.

E. Neque pia fuit nec impia

Ubi vides quod in minore affirmata una ex pluribus partibus majoris, conclusio neget omnes reliquias. Facere autem potes similiter, ut negata in minore una parte, in conclusione affimes reliquias partes, non tamen omnes distributive, & hanc & illam, sed disjunctive. Ita priore propositione servata si neges in minore sic.

Non fuit impia

Male inferes in conclusione distributive.

E. Et indifferens & pia fuit.

Sed sic inferre debes disjunctive.

E. Vel

E. Vel indifferens fuit vel pia
Similiter conclude aliis vicissim partibus, in
minore. Potes quoque dum plures partes in
majore disjunctas habes, omnibus reliquis in
minore negatis, affirmare in conclusione unam
quæ supereft, aut affirmatis disjunctive in mi-
nori cæteris, negare in conclusione unam su-
perstitem.

EUG: Hoc nimirum res ipsa & postulat, &
indicat satis, sed qua ratione syllogismos dis-
junctivos ad communem regulam revocabo.

THEAN: Quid tu regulam quæras Eugeni,
dum veritas per se elucescit, non indiges uti-
que face, nisi in tenebris, nec nisi in morbo
medicina.

EUG: Tamen istud etiam nolim ignorare, fi
minus ut necessitati consulam, tamen ut curiosi-
tati.

THEAN: Nocet subinde nimis curiosum esse,
& ego vereor, ne tua te aliquando curiositas,
in ambages novas, præsertim è vocum perple-
xitate natas conijciat. Tamen ne quidquam a
me infectum relinqu putes. En tibi syllogis-
mum priorem disjunctivum.

Accio Ciceronis Catilinam expellentis, vel
impia vel pia vel indifferens fuit.

Non fuit impia

E. Vel pia fuit vel indifferens

Reduco illum ad syllogismum Hypotheticum,
ita ut major propositio enuntiet conclusionem
sub hypothesi illa, quæ in minore enuntiatur
sc.

Actio Ciceronis Catilinam expellentis fu-

D 4

it

it vel pia, vel certe indifferens, si non fuit impia.

At non fuit impia

E. Vel pia vel indifferens fuit

EUGEN: Sed quid opus est hypotheticum in syllogismum vocare.

THEAN: Ita si me audis expedit Eugeni, ne quis te dolus alicubi incautum occupet, sic enim facilem tibi viam sternis, qua possis eum syllogismum ad regulam nostram universalem reducere. Jam enim loco illius primæ propositionis. *Actio Ciceronis Catilinam expellentis vel fuit pia vel indifferens, si non fuit impia.* Hanc profero.

Actio quæ non est impia, vel est pia, vel indifferens

Tum addo minorem eandem quæ superius est.

At non fuit impia actio Ciceronis Catilinam expellentis.

Ac denique conclusionem eandem.

E. Actio Ciceronis vel pia fuit, vel indifferens.

Similiter in reliquis faciendum est, nihil amplius negotij supererit, ad regulæ generalis amissim admovendam quod tibi per se perspicuum existimo Eugeni.

EUG: Ita plane.

THE: En igitur Tibi Eugeni, eam Logicæ partem tandem omnino absolutam, quam præceptis contineri diximus. Restat subtilior, illa quidem, sed rerum cognitioni vitæ acquirendæ, formandoque exakte judicio, & ad maturitatem perducendo, maxime accomodata. Eam si tibi proponi explicarique desideras. Eugeni, in me nihil moræ erit, ut quidquid in
meo

DIALOGUS IX.

57

eo laboris insit tua equidem causa alacer subeam.

EUGEN: Et illa ego ex te audienda cognoscendaque.

THE: Si aliqua ratione refugerem, id non nisi tuæ quietis causa sacerem. Nunc quoniam tu te mihi ad id operis alacrem offers, non faciam profecto ut tu diligentior aliena causa sis, quam ego mea, neque committam ut tædio me ac langvore absterrerri a pernoscenda ea Philosophiæ parte finam, quam tanti momenti esse, ut judicio ritè maturequé imprimis formando serviat confirmasti. Quare conquiescamus interim dum postliminio Theander ad te revisam.

AD

M. D. G.




LOGICA

LOGICA SECUNDA

Exercitijs quibusdam utilioribus

Comprehensa

In varios Dialogos distincta.



DIALOGUS PRIMUS

De objecto Logicæ sive veritate.

THEANDER Ubi tandem ex Logicæ præceptis emersimus Eugeni, ejus se nobis exercitia quædam nec inutilia & forsan non in jucunda offerunt, quibus si lubet dabimus operam, operæ ut spero pretium aliquod relaturi.

EUG: Perge Theander, penitiores Philosophiæ regiones adire, Ego te quamvis imparibus licet vestigiis sequor. Sed age quid hoc primo congressu acturi sumus, quaque de re impensis disputaturi, doce.

THE: De objecto nobis Logicæ statim agendum est Eugeni. Objecti nomine hic nihil aliud, (sentis ipse ni fallor) intelligi, nisi id, quod sibi contemplandum ac demonstrandum, ut quævis alia scientia, sic etiam Logica assūmit.

EUGEN: Procul dubio Logica *Circa mentis operationes versatur* ac proinde illas objecti loco habet.

TH:

THE: At enim cum in ipsis operationibus mentis multa, quæ demonstrari possint, insint, videndum etiamnum est, quid sit illud. *Cujus gratia peculiari negotio Logica, in operationum mentis contemplatione figatur.*

EUG: Quidnam illud esse existimas Theander.

THEAN: Quid aliud existimem, nisi veritatem Eugeni.

EUGEN: Veritas equidem omnium scientiarum Princeps, idemque pulcherrimum negotium est, sed ut peculiaris est scientia Logica, sic peculiarem sibi veritatem quandam debet vindicare.

TH: Sane vindicat.

EUG: Ecquam.

TH: Veritatem Eugeni consequentiae, sed ut id plenius intelligas, distingvendæ duæ imprimis veritates, operationibus mentis propriæ, eademque qua ratione singulis operationibus conveniat, explicandum est.

EUGEN: Age, explica, & distingve Theander.

THEAN: Eæ sunt *Veritas principii & veritas consequentiae*. Veritatem principii, voco conformitatem actuum mentis nostræ cum rebus, quas repræsentari nobis volumus aut putamus, veritatem consequentiae appello eorumdem actuum, aptam ad se invicem congruentiam & proportionem.

EUG: Quomodo hæc in unamquamque operationem convenientia aperi. Et primum quidem primam mentis operationem seu Ideam, quomodo veram esse oportet evolve.

TH:

THEAN: Idea Eugeni dupli cum objecto comparari potest, aut cum eo, quod tu tibi seu sibi quispiam aliis repraesentari vult, atque credit. Aut cum eo, quod idea per seipsum repraesentare nata est, quodque non potest non repraesentare, cum sit necessario objecti sui typus & imago.

EUG: Hæc nimirum duo objecta diversa esse sentis.

TH: Omnino diversa.

EUGEN: At quomodo.

THEAN: Alio istud loco manifesto perspicies Eugeni, neque dum eo pervenerimus, omittam te commonere.

EUGEN: Nunc igitur cæpta persequere.

THEAND: Ideæ igitur cum priore objecto conformitas est *veritas principii* ejusdem cum altero sibique proprio objecto, congruentia est veritas consequentiæ.

EUG: Profecto mi Theander nihil ego in idea consequentiæ illationis video.

THEAN: Ego contra multum Eugeni. An enim te latet, qua ac unde, omnis consequentiæ vis emanet. Nonne ex idearum fundo & comprehensione, dum videlicet una in altera continetur, atque includitur, ut in superiore Logica declaravimus, video tamen quid te angat Eugeni, non vides, in idea consequentiæ jam perfectam atque maturam, id sanè ita est, at non ideo, nulla ibidem in est. An tu infan tem, quod vir non sit, hominem esse negabis.

EUGEN: Scilicet in ideis, infantiam illationis collocas, ubi vero tandem aliqua ipsius ætas erit.

TH:

THEAN: Curiosus es homo. Sine illam paullatim crescere, & certè aliquando adolescentem, ac denique robustam virilemque conspicies.

EUG: Nihil te moror Theander, intelligo in omni rerum incremento mora opus esse ac tempore. Atque ego quidem in prima mentis operatione, quæ insit veritas satis tuo iudicio deprehendi, & cum veritati falsitas, atque error oppositus sit illius quoque rationem, quomodo in ideam cadere possit necesse est ut apertias. Multam enim hac de re inter Philosophos ipsos litem audivi, nec qua ratione dirimi possit adhuc intellexi.

THE: Lis illis Eugeni, ut plerumque accidit in vocum ambiguitate sita. Quidam omnes ideas, aliquando veras, aliquando falsas esse putant, quidam omnes simplices veras semper esse, complexas non semper veras esse existimant. Nobis sine discrimine de omnibus decidendum est.

EUG: Non dubito, quin tuo more, aliquid distinctionis allaturus es, eoque bellum ex utraque parte justum pronuntiaturus.

THEAND: Profectò pars utraque suis argumentis rationibusque non destituitur, utraque de eo quod cogitat, verum enuntiat, at neutra, idem totum cogitat, quod esset cogitandum. Eos solos maxime improbo Eugeni, qui de idea simplici non perinde, ac de complexa philosophandum putant. En itaque breviter quid de utraque quid de omni idea, ejusque falsitate statuendum est. Sed imprimis duplex ideæ

ideæ cuiusvis, quod jam distinximus, objectum mente retine. Si cum priore objecto Ideam componas, saepe ab illo dissentientem invenies, seu simplex sit, seu complexa. Si eandem cum altero objecto illi proprio colloces, nunquam non veram, nunquam illi non consentientem repieres, priori ratione, idea vulgari cognomine, et si non sibi proprio, falsa dicitur, altera ratione, ab omni errore per Philosophos vindicatur.

EUGEN: Profecto, Theander, cum primum duo illa objecta distingveres, duos hos ego scopulos fortè suspicabor, ad quos plurimæ contentiones, vix non vanæ ac inanes allidendæ ac confringendæ essent. Nunc duo assertionis tuæ capita, sine ut ipse per me paulo explicatus mei quidem causa evolvam.

TH: Fac quod tibi maxime lubet Eugeni.

EUG: Idea imprimis saepe non consentit cum illo objecto, quod nobis volumus aut putamus repræsentari, nempe saepe aliud cogitamus, quam quod re ipsa est.

THEAN: Probèrem expeditis Eugeni. Nihil est quod ego addam præter exemplum. Incedis per sylvam, iter fortasse faciens, cum iam noctis tenebræ clarum oculorum usum ademerunt, tollit se ante te inter arbusta stipes arbustus, oritur in te idea ursi, si eam comparas cum re, quam tibi putas repræsentari, ab illa plane dissentiens, atque adeo falsa, quid enim tibi per illam credis depingi? Id utique quod revera, ante te vides, & id nil minus quam ursus, est merus stipes. Hac sola ratio-

ne

ne ideæ error tribui potest, qui tandem ut verum dicamus, non ipsi proprius est, non enim oritur ex ipius a proprio objecto dissensione, sed quasi ab alieno. Quod enim proprium ipius objectum est, id sane quod per illam menti obiicitur, quod per superius allatum ideam menti obiicitur ursus. Sit ille re ipsa ante te, non sit ante te, sit ille id ipsum, quod revera videre te ac intueri putas, sive non sit, hoc nihil ad ideæ repræsentationem facit, nihil eidem adimit.

EUGEN: Cui igitur error, quem in allato casu inesse necesse est, erit tribuendus.

THEAN: Idea illa ursi menti tuæ oborta, præbet occasionem, quanquam non suapte judicio subrepenti, quo statuis, judicas, atq; enuntias re ipsa id, quod vides ante te, ipsum ursum esse, revera inquis actum est, ursus est ante me. Quid enim palles? tremis? sudas? fugam circumspicis? nisi quia putas, id actu esse in sylva, quod est in idea. Fac enim abstero paulatim timore, accede, circum aspice, palpa, ubi nil nisi stipitem depræhenderis, damnabis procul dubio timorem ipse tuum, quam vane inquieres; ursum mihi hoc loci esse finxi, at ubi sic te ipsum damnas, nunquid adhuc de urso cogitas, plane cogitas, plane adhuc in idea ursum habes, cur igitur tibi non priores aestus ac algores redeunt? quia nimirum non credis amplius illum esse in sylva. Profecto non ita hebes es Eugeni, ut non ubi error sit, perspicias, sed enim per me licet ideam ipsam falsam appella, non tibi ego, non generi huma-

no contradicere volo, modo noveris, cujus id objecti gratia dicatur, illius videlicet, quod putamus nobis representari. Quodque ideæ proprium non est, sed falso judicio nostrō illi attributum. Dicam brevius, ac enucleatius fortasse Eugeni falsam ideam dici atque esse posse respectu objecti, comparate ad illius statum, in quo re ipsa, in se ipso, ac extra cogitationem nostram reperitur atque existit, vel existere potest.

EUG: O Te Theander! habebam quod allatae prioris exempli explicationi tuæ opponerem, at homo sagax occupasti occupationem meam.

TH: Quid erat Eugeni.

EUGEN: Repereram Theander exemplum, in quo non duo illa objecta distingvere posses.

THEAN: Vulgare illud fortasse ideæ complexæ Baculi in aqua fratti eras objecturus.

EUG: Istud ipsum.

THE: Nimirum, id quod in ipso priore exemplo poteras reperire si enim cogites *Ursus hoc loci ante me praesens* hæc repræsentatio ab omni etiamnum enuntiatione vacua, nil nisi idea est, quæ si cum ursi statu, qualis eo tempore dum cogitas extra Ideam tuam est conferatur, cum illo certè non congruit, non enim tum ursus, extra tuam ideam hoc loci præsens est.

EUG: Satis superque Theander ea, quæ ad primam assertionis tuæ partem pertinebant, expensa sunt, ad alteram veniamus, eam quoque si per te licet explicabo.

THEAN: Profecto licet, Eugenì.

EUG:

EUGEN: Idea comparete ad illud objectum quod nata est, repræsentare, quodque ipsius proprium est, falsa nunquam esse potest Vide-licet si falsa esset, tum vel ex eo quod aliud quidpiam repræsentaret, vel quod alio modo repræsentaret quam ipsi proprium est, sed neque potest unquam aliud, neque unquam alio modo repræsentare, quam ipsi proprium est, igitur falsa esse non potest. Ecquidem si vel aliud, quam quod nata est, vel alio quam quod nata est modo repræsentaret, mutaretur repræsentatio, mutata representatione, mutaretur idea, cum idea nil aliud sit quam repræsentatio, atque adeo non supereffet amplius, eadem idea, quæ autem non supereft, falsa esse non potest.

THEAN: Recte tu hæc atque ingeniose Eugeni. Ego colligo atque concludo, idea semper aut id repræsentat, quod debet, & modo quo debet, aut aliud, & alio modo, quam debet, si prius, vera est semper, si secundum, ipsa non manet, rgo dum manet semper vera est. En iterum exemplum: *Hic baculus in aqua fractus.* Quid hæc idea repræsentare debet? Utique hunc baculum fractum, quamdiu hoc igitur repræsentat, est vera, mutata quidpiam in ipsius representatione, & loco baculi substitue lineam auream non amplius hæc, quæ fuit, idea est

EUGEN: At Theander hic baculus in aqua non est fractus, idea mihi repræsentat fractum, aliud igitur repræsentat quam sit qui igitur vera erit?

THEAN: Aliud quam sit? ubi sit Eugeni, at
E ibi

ibi baculus non est fractus.

EUGEN: In se ipso, in re ipsa, extra cogitationem meam.

THEAN: Comparete igitur ad illum baculi extra cogitationem tuam statum, ideam appella falsam, id iam tibi licet Eugeni, cum illo fane non congruit.

EUGEN: Cum quo igitur congruit.

THEAN: Cum illo quem in tua cognitione statum habet.

EUGEN: Rectè, eo pervenimus sensim quod maxime animum meum pungit.

THEAN: Quidnam est Eugeni.

EUGEN: Ideam semper veram dicis secundum ipsius congruentiam, ac conformitatem, cum statu objecti, quam illud in cogitatione mea ac idea habet, hic porro status nil aliud est, quam mea cogitatio, ac idea, igitur dicis ideam semper veram esse, quia semper est conformis sibi ipsi. Vide Theander, ne quod in aliis carpimus, ipsi in vocum sono, & inanitate ludamus.

THEAN: Subtilis es plus æquo Eugeni, quid quid sit ille status, quem in idea res habet, & quocunque tandem ab ipsa idea differat, id tibi hoc loci nosse sufficerat, saepe statum rei in cogitatione nostra depictum ab eo qui re ipsa habet, aut habere potest, abhorrente id, quod malo nostro, nimis quam verum est, sed tamen accipe, status objecti, quem illud, in cogitatione tua vel mea possidet, non usque quaque ipsa mea vel tua cogitatio est. Status baculi fracti in cogitatione mea expensus quid est nisi baculus

baculus ipse fractus a me cognitus, baculus iste fractus etiamnum a me cognitus est corpus, cogitatio mea, vel tua nil mintis quam corpus est, non extensionem, non partes, non duritiem, non gravitatem & pondus habet, quæ omnia corpori propria sunt, vides igitur illa esse diversa. Relucet quidem in nostra cogitatione, velut in speculo baculus, relucet proinde corpus, reliquent recensitæ corporis affectiones, quare cogitatio nostra, repræsentatione, hæc in se continet non re non existentia. Ut in speculo res, non per existentiam sunt, sed per imaginem, & exhibitionem. Vidisti te aliquando in speculo Eugeni, Quomodo dic amabo illuc intus usque trans crystallum, & ultra illum penetrasti? Imago hæc tua est, non tu ipse Eugeni. Quod si eam te ipsum appellas, non nisi te ipsum repræsentatione & similitudine, non re, ac existentia potes appellare. Inanis illa est, non animo non ratione, non cogitatione pollet, quæ tibi constant omnia.

EUGE: Quid igitur mi Theander ille status est, si mea non est ipsa cogitatio, & quæ est illa cogitationis cum ipso conformitas.

THEAN: Status ille Eugeni, si nusquam extra cogitationem tuam est, nunc quidem nihil extre ipsam, talis tamen esset qualem cogitas, si alicubi existeret. Et hæc est illa tuæ cogitationis cum rei statu, in ea expresso conformitas in eo consistens, quod si id quod idea efformas, alicubi extaret, tale omnino, quale illud apud te singis extare deberet. Efformans tibi animo baculum hunc in aqua fractum, quid


efformas? nimirum quasdam ipsius partes, in linéam rectam, versus quamcunque partem pretensas, a manu tua excurrere, quasdam vero in certo puncto a linea recta, effecto angulo descendentes. Si baculus hic revera fractus extaret, revera quædam ipsius partes in lineam rectam a manu tua progressæ, se extenderent, quædam vero a certo, cum prioribus conjunctionis puncto, effecto angulo declinarent.

EUGEN: Id ita videlicet de cæteris quoque sentiendum putas.

THEAN: Id ita omnino Eugeni. Sed de idearum falsitate ac veritate, quid illæ sunt, longius etiam ac subtilius fortasse quam oportuit adhuc disputabimus. Tamen nobis ea in re magni viri exemplo præiverunt, qui hanc, ut parvi momenti videatur, quæstionem commentatoribus suis non indignam duxerunt. Quorum si æquam ex utraque parte litem declaravimus, præclarum nostræ quoque contentionis fructum habituri sumus, tantorum nempe viorum conciliatos animos, restitutamque concordiam.

EUG: Cætera in aliud tempus discutienda reiiciamus, Theander, nunc aliquamdiu mihi tibique respirandum est.

THEAN: Sic est Eugeni, respira plurimum, tu enim hodie plurimum depugnasti. Vale.



DIALOGUS II. 69
DIALOGUS SECUNDUS

De veritate secundæ mentis operationis.

THEAN: Proposita ac explicata pro modulo nostro imæ operationis seu ideæ veritate, & qua ratione in eam error irrepere possit quæstione definita, ad 2dæ operationis seu Judicij veritatem progredendum est.

EUG: Nimirum telam, quam orsus es, per texturus, ut in idea consequentiæ infantiam reposuisti, sic in judicio, nisi fallor, ejusdem adolescentiam collocabis.

THEAN: Nihil te sagacius, nihil verius, nihil eorum, quæ dicta sunt tenacius Eugeni, rem recte confecisti.

EUG: Nec minus duplarem fortasse etiamnum judicii, ut ideæ veritatem distingves.

THEAN: Nil dubita Eugeni, in eo quoque quædam est veritas *principii* quædam consequentiæ.

EUGEN: Fateor Theander dum a te abessere me diu laborasse in duplice illa 2dæ operationis veritate, apud me ipsum definienda, non mihi tamen ipse satisfecisse videor, itaque ad te integrum rei judicium refero.

THEAN: Ex uno Eugeni judicio reliqua metiemur. Fac efforma apud te hoc judicium *Homo est rationalis*, quid antequam hoc institueres, in mente habebas.

EUGENIUS: Duas ideas.

TH: De ijs igitur sententiam tulisti, unam videlicet in altera contineri.

EUG: Procul dubio.

THE: En igitur unam enuntiationem super ideis menti tuæ præsentibus. Verum Eugeni, quid est, cur unam ex ijs *hominis*, alteram *rationalis* five ratione prædicti esse dicis.

EUGEN: Quia nimirum una hominis mihi naturam, altera naturam ratione prædicti exhibet.

THEAN: Istud igitur etiam enuntias, en alteram enuntiationem.

EUGEN: Quid vero alteram cum unica mihi quidem esse videatur.

THEAN: Sane altera est, non te finas falli Eugeni, en discrimin, inter utramque. *Prima* ideas menti præsentes, inter se mutuo confert, ac conjungit, *Altera* earum, cum rebus, quas nobis repræsentari volumus, aut putamus congruentiam statuit quæ duo diligenter Eugeni, distingvenda esse, cum ipse sentio, tum ipse profecto ex ijs quæ dicenda nobis hac de re supersunt, manifeste intelliges.

EUGE: Hæc quidem ego Theander, non illibenter distingo, nec eadem esse sed diversa, diversaque satis idearum, semel quidem inter se ipsas rursus vero, cum rebus, quas nobis repræsentari credimus, collationem perspicio. Verum an unum ab alio seperari, atque abesse possit, id mihi videtur docendum, explanandumque superesse.

THE: Nil magis profecto, nihil facilius evenire potest, nec quidquam sæpius etiamnum homi-

DIALOGUS II.

71

hominibus, eorumque judiciis evenit, quam ut hæc duo separentur, quorum tamen superatione, ac distractione, non observata in errorem homines pessimum inducuntur, id quod ego iam tibi exemplis evidentibus demonstratum eo.

EUGEN: Libenter illa excipiam Theander.

THE: En primum Eugenii. Erat quispiam, qui propositis sibi duabus ideis, nempe *Bellatoris* & *Occidentis homines dolo ac ex insidiis* pertinaciter ex iis judicabit. *Bellatorem esse siccarium.*

EUGEN: Sane is mirum quantum falletur.

THEAN: At ubi & in quo Eugenii? An circa idearum menti præsentium inter se convenientiam. Ne tu ipse manifeste vides unam scilicet: *Occidentis homines dolo, ac insidiis* contineri in altera, nimirum: *Bellatoris.*

EUG: Profecto istud video, nihil erroris habere. Sed nimirum peccabat ille, in comparatione ideæ cum rebus ipsis, extra ideam positis, ac speciatim, in eo quod ideam *Occidentis homines dolo, ac ex insidiis*, vere ac re ipsa ideam *sicarii* esse judicaret, cum re ipsa non esset. idea enim *sicarij* vera est. *Occidentis homines dolō malo ac insidiis extructis lege vetante.* Quæ duo animadversa statim ideam *sicarij*, ab idea *Bellatoris* excludunt, huic etenim dolus, ac infidiae & cædes ipsa, legis favore permisæ esse deberent.

TH: Digitum ad fontem *ut ajunt* intendisti Eugenii, verum accipe aliud exemplum, in quo homines etiam doctissimi, & recentiori Philosophiæ addicti failuntur, cum demonstratio-

nes suas quibus frequenter, tanquam evidentiis utuntur, non animadvertunt inefficaces atque etiam infirmas esse. Effingunt illi apud se ideam unam quidem *substantiae cogitantis* aliam vero *potentis movere corpus*. Super his intrepidè racionantur, atque definiunt, in idea *substantiae cogitantis* non reperiri ideam *potentis movere corpus* ideam porro *spiritus* nil aliud esse quam ideam *substantiae cogitantis*. Igitur in idea *spiritus* non esse nec reperiri *potentiam movendi corpus*.

EUGE: Evidentur illi mihi recte satis colligere consequentiam.

THEAN: Si solas ideas illorum menti præsentes respicias Eugeni, quid quid de earum convenientia, aut disconvenientia, afferunt, in quo veritas consequentiae reposita est, omnino verum dicunt. Ita idæe substantiæ, cui nil præter cogitandi vim competit, qualem apud se illi efformant, quod nulla ratione posse moveare corpus proprium sit, quis non videat. At eos qui re ipsa dantur, & quales extra ipsorum cogitationem existunt, spiritus, nil aliud esse quam substantias cogitantes, nihil præterea, in ipsorum natura reperiri, nihil aliud esse, quod efficere possint amplius nisi cogitare, quis recipere possit? quis Philosophos nostros in eo securos, ac veri certos præstare. Profecto istud ego, si non aliunde omnino falsum, certe suspectum satis, atque ad eam, quam usurpant demonstrationem stabiliendam non satis firmum perspicio.

EUG: Nil dubita Theander, satis mihi apparet

rere discrimen duplicitis quam judicio tribui veritatis, unius quidem quæ *principij* sit, alterius quæ sit *consequentiae*. Vide quid illas esse, atque in quo consistere, apud me statuam. *Veritas principij* in aliqua enunciatione est. Conformitas vel difformitas prout afferitur, inter ideas menti præsentes, & res quas nobis repræsentari volumus, aut putamus. *Veritas consequentiae* est asserta conformitas, vel difformitas, inter ideas ipsas menti præsentes, ad se invicem comparatas.

THEAN: Recte agis Eugeni.

EUGEN: Restare mihi videtur Theander maximum negotium quomodo utraque veritas iudiciis nostris, concilianda sit, quaque ratione, error saepe irrepatur, ut ei auditum obstruamus.

THEAND: Sane Eugeni istud restat, & id quoque allaturi sumus, separatim quidem de utraque veritate, eique opposito errore disputantes. Interim animadvertis opinor, utrobiusque opus esse comparatione, examine, ac discretione, sive idearum compare ad res, seu compare ad seipsum.


EUG: Animadverto istud satis, atque etiam omnem consequendæ veritatis, seu rationem, seu difficultatem in ea discretione repositam esse sentio. Nimirum si recte discreverimus, quid idea menti præsens, seu compare ad aliam præsentem, seu compare ad id ipsum, quod mihi repræsentari puto, ac volo, sit, vel non sit. recte quoque judicaturi sumus, ac verum reperturi. Itaque imprimis, videndum nobis est, unde

DIALOGUS III.

de illa nobis recta discretio præstari, nec minus, unde adimi ac intercludi possit.

THEAND: De illa nobis proximo congressu sermo erit Eugeni, ac imprimis de eo diffaremos, quid impediat discretionem nostram, circa convenientiam vel inconvenientiam idearum menti nostræ præsentiam, comparete ad ea quæ nobis repræsentari volumus aut putamus.

EUG: Vale interim Theander.



DIALOGUS TERTIUS

De prima causa discretionem impeditente Erroremque in judicio humano inducente

EUGEN: Gratissimam mihi rem facturus es Theander, si fontes eo, indicaveris tandem, unde discretionis nostræ, ac judiciorum vitium emanat.

THEAN: Faciam illud tanto libentius Eugeni, quod id tibi pergratum fore intelligam.

Ut non recte discernamus, an idea menti nostræ præsens cum objecto, quod nobis repræsentari credimus, vel optamus, congruat, nec ne, triplex impedimentum facit.

Primum venit ex nobis ipsis secundum ex ipsis objectis nascitur. Tertium denique oriatur ex vocibus ad animi nostri sensu exterius evolvenda destinatis.

EUG: Placet ire per singula Theander, a primo capite rem arcessere.

THEAN:

THEAN: Sic est Eugeni, omissam sæpe, aut vitiatam, & corruptam, ideæ nobis præsentis cum eo, quod depingere nobis in mente cupimus discretionem, nobis ipsis sæpiissime refere debemus. Id quod aut vitio voluntatis nostræ fit aut facultatis, nempe vel quia nolumus reæte differere, vel, quia non possumus Illud culpa fit nostra hoc natura, illud condemnare debemus, hoc si qua possumus emendare.

EUG: Placet primum culpæ supplicia decernere, dinde naturæ remedia providere.

THEAN: Itaque culpa nostra Eugeni, in præsenti negotio, his iterum quatuor, veluti fontibus & caufis continetur *imo* Negligentia *2do* non attentione *3tio* præcipitatione. *4to* præsumptione.

Negligentia est vitium eorum qui cogitant, velut non cogitando, ut quid quid ipsis de re quamquam oblatum est, nulla cura, nullo delectu nullo examine nulla rerum inter se comparatione judicant.

EUGEN: Vitium profecto, mea sententia, fædissimum, quod in hominem cadere possit, est ejusmodi negligentia, Homo equidem sine discretione, sine ea supra seipsum, suasque cogitationes mentis reflexione, est quodammodo sine mente, nempe nimirum sine nobilissima mentis functione. Ac proinde a brutorum conditione, non multum remotus. Cogitare enim cum ea de qua loquimur discretione, est liberum exercitium humanæ mentis, quo ut bruta, sic homines ignavi, atque incurij destituuntur. Ut hac ratione judicemus, profecto voluntate opus est.

est. Quod nisi fallor indicare voluit Carthesius magnus ille Philosophus, cum judicium voluntatis esse actum pronunciavit.

TH: Sane Eugeni saepe nobis evenit ut praeter voluntatem nostram, ideam aliquam concipiamus mente, oriri illa nobis etiam invitum potest, sed id in nobis positum est, ut defigamus animum in perspiciendo, quam illa cum obiecto de quo agitur congruentiam habeat, vel certe, dissensionem. Id molestum saepe est, at dignum omnino homine et humanæ mentis sive præstantiæ, sive infirmitati maximæ opportunum.

EUGEN: Id fortasse attentio erit Theander.

THEAN: Ea ipsa est Eugeni, & illa nobis opus est.

EUG: Nimirum primum oportet velle videre atque perspicere, quid nam sit idea menti præfens, comparete ad obiectum, quod repræsentari nobis cupimus, vel putamus, ejusne sit vera ac genuina Imago, nec ne? tum vero altero veluti passu progrediendum est, ad ipsam animi videndo ac perspiciendo defixionem.

Profecto neglecta hæc attentio, sentio satis quam multis erroribus, falsisque judiciis viam sternat. Quam multa sunt obscura incognita nobis, saepe etiam impervia, sine attentionis lumine in tantis tenebris incedere, est certe non ambulare velle, sed ad singulos passus impingere & collabi.

THEAN: Hinc equidem velut per transennam perspicere Eugeni possumus, quantum magistrorum, quantum Parentum ipsorum interficit, dare operam mature, ut liberos asve faciant,

ciant, pervigili nempe animo esse, atque ad ea, de quibus indicandis agitur naviter attento. Nimirum cum illa ætas sit, maxima multis ac variis, quæ sensibus blandiantur objectis, exposita, eorum mens, ut in ipsa varietate complacere, sic in diversa facillime rapi atque adeo distrahi, neque in ullo consistere, sed per omnia vagari, ac volare confusescit. Qua propter, ut primum illis ingenia infantiae impedimentis solvi ceperunt, plurimum refert ea memoriæ exercitiis magna in se quædam, & illustria facta complacentibus, occupare, & quod a multis reæte usurpatur, statim Geometriæ præceptis instituere, quæ & figurarum eleganti exactitudine, & propositionum evidenti claritate comprehendantur. Sed ad nostrum propositum revertamur.

Accidit sæpe, ut in suscepta jam attentione, ac discernendi diligentia, nos vel molestiæ tædeat, vel pigate laboris. Nihilominus judicare nobis fixum est. Judicamus itaque & fallimur. At enim, quæ malæ nos intemperiæ tenent. Volumus laboris fructum sine labore, fructus vero cum præcox sit, & suam ipse maturitatem non expectans, abortivus est.

EUG: Intelligo id, nisi fallor, præcipitationem esse Theander.

THEAN: Nil dubita illam tenes.

EUGEN: Nempe vitiosa judicia, ex eo nasci plurima, quis non videt, quod diligentiam indisconveniendo nostram deseramus prius, quam plane perspexerimus, omnem rei de qua nobis agitur, naturam, ac fundum, utrum videlicet

ea omnia quæ in ipsa revera comprehenduntur in idea nostra reluceant, aut si nihil ipsis proprium desit, nonne quidpiam de alieno perpetram attribuatur.

TH: Vitio isto laborant illi maxime Eugenii, quibus ingenium celer est & vivacius. Perspicciunt prompte, ac ferme e vestigio ideæ sibi præsentis, cum objecto, de quo agitur convenientiam, sed non nisi ex parte, atque ab uno velut latere tantum. Interim acti, cognita iis impatientia disquirendi, eo, quod repererunt contenti, ex omnibus rem partibus circumspicere minime laborant. Id quod imprimis opus est, ut error omnis a judicijs humanis arceatur.

At quæ longe pessima humanæ mentis lues est, ejusmodi præcipitatio, si in eos incidat, qui ingenio vano sunt, ne dicam superbo, & inani sui ipsius æstimatione, ac præfidentia occupato, format ibidem præsumptionem.


EUGEN: Præsumptio sanè Theander, maximum impedimentum est, ad exacta formanda judicia. Neque enim illa solam id attendendo diligentiam adimit, nec omnem tantum attentionem tollit, sed ipsam quoque attentionis, & diligentiae necessitatem perspici, & intelligi non permittit.

THEAN: Sic est Eugenii, tamen ut tetrum atque abominandum id vitium sit, nihilominus & commune maxime est, & tollerari maxime conservavit. Commune est; quoties enim quisque a vano ingenij sui, præfertim ac judicij amore, atque adeo nata inde præsumptione immunis est.

est. Toleratur vero maxime, namque cum vi-
ri nobiliores, genere, fortuna, authoritate præ-
stantiores, illi maxime obnoxij fint, quod &
adulatores, malum illud foveant, & reverentia
dignitatis illos emendari non finat, & timor
potentiæ, aut spes aliqua iis contradicere ve-
tet, sua illos pestis nunquam deserit, quotidie
excedit, bis fane miseros, quod & laborent ma-
lō, & laborare se minime sentiant.

EUGEN: Exposuisti satis ea Theander, ex
quibus error in judicia humana, non sine hu-
mana quidem culpa promanat. Exponere jam
non gravaberis, quid sit, unde citra culpam no-
stram errare ac falli in judicando possumus.

THE: Craftino te mane salutabo Eugeni, at-
que ea, quæ desideras, evolvemus. Iam vale.



DIALOGUS QUARTUS

De altera causa falsi judicij

THEANDER: Habes me Eugeni, ut
præceperam, tibi præsentem, ac ad
philosophandum expeditum.

EUG: Nec mihi tua præsentia Theander, non
gratissima esse potest, nec non jucunda Philo-
sophia.

THEAN: Explorandus est nobis, vel potius
indicandus, alter obex rectæ in judicando di-
scretionis, qui nobis quidem, fine culpa tamen
nostra veniat.

EUGEN: Recte indicandum potius dixisti The-
ander, quid enim tibi sit inexploratum?

TH:

THE: Nec ego dubito Eugeni, quin indicaturus sim potius, quid ipse sentiam, quam quid te sentire oporteat, perspicis enim profecto illud & pridem vides.

EUGEN: Mihi quidem ille obex in vitio quodam memoriae consistere videtur.

THEAN: Id ipsum est Eugeni, quod apud me quoque constitueram.

EUGEN: Nimirum fieri potest, ut quispiam, omni adhibita diligentia, in rei cuiuspiam accurata cognitione conquirenda efformet in animo suo, justam ac exactam ejus rei ideam, quæ omnes objecti notiones ad amissim complectatur. Interim aliquo temporis intervallo revocet illam sibi in mentem, sed aliqua parte deficientem, nec per omnia cum eodem objecto consentientem Nihilominus ejus, quam olim veram genuinamque conceperat ideæ oblitus hanc mancam, ant certe redundantem, ob multam cum priore similitudinem, illam ipsam ac eandem, adeoque cum illa re, quam sibi representari cupit plane congruentem judicet, & in errorem misere labatur.

THE: Rem a te optime explicatam Eugeni, exemplo illustremus. Vidisti aliquando duo numismata, alterum verum, alterum mendax, sed hoc illi ita simillimum, ut non nisi utroque diu examinato, & perspecto, tandem unum ab alio disreveris. Unde tu quidem duas exactas & genuitias veri & ficti numismatis ideas efformasti. Elapso demum aliquo tempore, vides in conclavi cujusdam Principis numisma, quod re vera fictum est, sumis in manus, circumspiciens,

cis, miraris antiquitatem, laudas formæ elegantiam, verum existimas. Ecce te falsum male judicasti, quid fecit, ut in hunc errorem inducereris? Si tibi memoria, etiamnum constaret, duarum illarum veri & ficti nunquam i matis idearum, cum omni, quod in illis observasti discrimine, profectò illas cum hoc, quod ante oculos habes numismate conferendo, veritatem ut olim reperires. Memoria tibi igitur tua non constituit, alias ideas exactitudine sua destitutas, pro genuinis arripuit, teq; sefellit.

EUGEN: Nimirum eo memoriae meæ lapsu effectum est, ut non recte ideas menti præsentes, cum ijs, quas debeam, & putabam me habere genuinas comparavi, atque invicem discrevi.

THE: Sic profecto Eugeni,

EVGEN: Atqui dicebas errorem principij in eo confistere, quod idea menti præsens nō congruat cum re de qua agitur, nec cum ejus idea genuina.

THEAN: At enim id ipsum est Eugeni. Si idea tibi præsens congruit cum idea, quam habere deberes, genuinam ejus rei, de qua agitur, eo ipso congruit cum illa re. Quod si ab idea genuina dissentiat, a re quoque dissentiet.

EUGEN: Tamen ideæ unius, cum alia, comparisonem ad veritatem consequentiæ ajebas pertinere.

THEAN: ideæ unius quam præsentem habes, eum alia quæ item præsens menti tuæ est comparatio, sane ad veritatem consequentiæ spectat. Ideæ vero unius tibi præsentis, cum altera quam præsentem vis aut putas esse, dum

plane non est, Collatio ad principium veritatemq;
ac errorem principii refertur.

EUG: Satis asequor Theander, in quo positi-
tus sit, alter obex recte ac exvero judicandi,
quantum quidem ad nos ipsos attinet.

THEAN: Superest ut remedium, quo amove-
ri obex possit afferamus.

EUGEN: Optimum factu censes.

THEAN: Quo imbecillior nobis memoria est,
eo fortior attentio esse debet omni tempore,
quo judicij ferendi de re quaquam necessitas in-
cubuerit.


EUGEN: Quid si omni attentione, & diligen-
tia adhibita, non possim tamen recordari pla-
ne eorum, quæ ad exactam rei ideam perti-
nent.

THE: Abstinendum est potius judicio, quam
quærendus, & affectandus inanis quidem, aut
falsæ ingenij vivacitatis honor, aut ridiculæ
præsumptionis. Sed de his satis. Jam igitur
exponemus illa impedimenta, recte differendi,
atque adeo judicandi, quæ cum extra nos fint,
nobis tamen incommodeare non cessant.

EUGEN: Sequitur, ut exponas quantum ad
id negotij, afferant difficultatis ipsa objecta.

THE: Verum alio conventu hoc definiemus
Eugeni, interim bona, Philosophiæ veniâ, aliis
aliquantum rebus nos indulgebimus.

EUG: Mihi quidem nil æque molestum est,
Theander, quam te relinquere, at quoniam, id
tibi ita commodum est, renunciabo libenter uti-
litatibus meis, quo tuis satisfaciām Vale.



DIALOGUS QUINTUS

De tertia causa falsi Judicij

EUGEN: Importunius fortasse quam de-
cuit adsum Theander, sed me Phi-
losophiae desiderium, nescio quodnam
ita incessit, ut dum sapiens evadere studeo, fer-
me humanus esse desinam.

TH: Non Eugeni, nihil est humanius, quam sa-
pientem esse, nec mihi importunus esse potes, qui &
ingenio tuo plurimum delector, & studio faveo.

EUGEN: Igitur Philosophiae etiamnum dabi-
mus operam, si perte licet.

THEAN: Licet omnino Eugeni, & quidem
3tium obicem exactae in judicando attentionis
plerumque in ipsis objectis repositum esse dixi-
mus.

EUG: Qua nam ratione, aperi.

THEAN: Nulla ferme sunt objecta Eugeni,
præsertim quæ extra nos existentia sunt, aut
esse putantur (de his enim, hic nobis maxime
agit) quæ non pluribus constent, seu parti-
bus, seu notionibus & proprietatibus suis.

Etsi enim quædam re ipsa ita simplicia sunt,
ut in nullas ipsa partes dividi ac separari pos-
sint, ut Eg. Spiritus, ut cogitationes nostræ ac
alia id genus, hæc tamen etiamnum a nobis,
tanquam composita, & quibusdam veluti parti-
bus constantia considerari possunt, eo quod mens
nostra, eas quæ in illis insunt proprietates &
notiones, pluribus ac separatis ideis compre-
hendere possit. Possetque etiam una plures e-
jusmodi notiones concipere, non tamen omnes,

eo quod quasdam, vel data opera mittat, vel quod eas plane non assequatur & ignoret.

Cum igitur maxime opus sit, ad exactam rei ideam efformandam, ut omnia quæ in re insunt, in idea relincent, nihilque sive deficiat, sive redundet, quo pluribus res notionibus constat, eo plura respicienda, ac examinanda sunt utrum in ea, quantum præsentem habeantis non deficiat quidpiam, quod in re repræsentanda sit, utrumquoque non aliquod redundet in idea, quod rei plane non conveniat.

Rursus quo plura examinanda sunt, eo major labor supereft, eo gravior difficultas incubit. Igitur quomagis objecta, de quibus agitur, sive re ipsa, sive conceptione nostra composita sunt, eo majorem discernendo obicem afferunt.

EUGEN: Nimirum ut in turba populi difficile, quem quæris reperias, sic in multitudine idearum, & notionum, unam rem, unamque genuinam rei ideam componentium, tam perplexa discretio, quam proclivis error est, sive id, quô nobis est opus, non inveniamus, sive id, quo opus non est perperam adsciscamus. Unde quidem ego in summa colligo, ideam, quæ nulla ferme est non composita, ut cum objecto repræsentando congruat, debere constare determinato & definito, neque deficiente, neque redundantē idearum componentium numero, quæ ipsæ quoque componentes, cum ex aliis iterum constent, & illæ rursus ex aliis eandem prorsus exactitudinem postulant.

THEAN: Mirari profecto non debemus Eugeni, tot apud nos ideas falsas haberi, neque cum

cum objecto, de quo agitur consentientes, cum quævis ipsarum infinitis prope aliis minoribus veluti partibus confret, quæ sive demptæ, sive additæ per mentem nostram, illico alterant ideam eamque plane immutant.

EUGEN: Quæ rursus alteratio, cum saepe tam tenuis subtilisque sit, ut facile non observetur, saepè ideam jam alteratam tam securi in alia includimus, aut ab illa separamus, ut olim cum ab omni alteratione immunis esset, faciebamus, atque sic non recte iudicamus, & in errorem prolabimur. Sed quid factio opus est, ut nos isto malo liberemus.

THEAN: Opus est imprimis Eugeni, insignis mentis in concipiendo, ac recordando similitate, ut justum apud nos definiamus numerum earum notionum, quæ ad sinceram rei ideam comprehendendam spectant. Quare praeter eam de qua locuti sumus, in discernendo applicationem & attentionem mentis, juvabit subinde plurimum describere sibi omnes rei proprietates, ex quarum minoribus ideis, una denique integra confletur. Sic enim oculis subjectæ fidelibus, facilis & penetrabunt in memoriam, & in eadem altius desigentur. Atque in his quidem Eugeni, quæ diximus, omnis discernendi difficultas, ex objectis ipsis veniens hæret, ut vides, quaque ipso ratione obviandum sit intellectu credo.


EUG: Sane intellexi Theander, multum interesset, ne nobis quidpiam ex ideæ integræ fundo ac comprehensione immutetur, vel desit, aut perperam eidem assuatur. Quæ res ipsa nisi

nisi fallor, perpetua seges, ac materies est, disceptationibus & contentionibus quorundam Philosophorum, dum hic ad hunc, ille ad alium idearum minorum numerum, integrum ideam rei de qua agitur, restringit,

THEAN: Divinasti omnino Eugeni, At enim eo ipso, quod eorum hic aliter, atque alias ideam definit, atque describit, vel uterque vel alteruter illum immutat, immutando, non amplius eandem veram ac genuinam retinet, proindeque non de eodem litigant, non de eadem re, objectoque contendunt, neque contendunt profecto, sed potius inani vocum strepitu collidunt. Videri tamen possunt in eadem sibi prorsus re contradicere, eo, quod distincta illa res, variaque in utriusque mente rei idea, eadem, atque adeo ambigua voce, aut vocum conformatioe efferatur,

EUG: Nimirum paulatim delati sumus, ad ultimum tandem & discretionis in iudicando obiciem, & erroris fontem. Sed illum alio tempore perscrutabimur, nunc tibi mihi que cum quietis aliquid, tum etiam cibi capiendum est, jam enim medium sol diem obit, & parata nos mensa expectat.

THEAN: Age igitur petamus triclinium & accumbamus.



DIALOGUS SEXTUS

De quarto exacti judicij, & discretionis obice

THEAN: Veniam Eugeni dabis, quod te nec exquisitæ. & ineleganti fortasse mensæ adhibuerim.

EUGEN: Etsi Philosopho non condonari tantum, sed etiam laudi verti debet, quod in corporis cura mediocris, totum se ad animi cultum conferre studeat, tamen tu Theander non in Philosophia magis exquisitus, quam comptus in mensa mihi vderis. Nihil profecto apparasti, quod non & genio & palato satisfecerit.

THEAN: Gratulor mihi Eugeni, ea tibi tantum ut dicas arrisisse, sed age, huc in exiguum hortulum, concedamus, qui tamen nec in amœnas habet scenas, & arcendo, qui plus æquo calet soli opportunas.

EUGENIUS: Faciam libenter quod jubes, At quod solem tantopere calere dixeris, id ne ex animo a te dictum putem Theander.

THEAN: Quid quæris?

EUGE: E magnorum equidem Philosophorum disciplina, nullus mihi videtur in sole calor inesse.

THEAN: Perquam es festivus Eugeni, ego certe in igne, tam præsertim magno, quam sol est frigus nullum perspicio.

EUGEN: De hoc tu quidem ut velis: At calorem, qui perceptio quædam, ac sensatio mea, tuaque est, ut in solem, in animum illud, ac fine sensu corpus transferam non adducor. In

nobis illum hærere, neque extra prodire, neque tam alte in solem usque conscendere arbitror.

THEAN: Recte Eugeni, ad eam, quam exentiendam nobis quæstionem proposuimus, te jam authore delabimur.

EUGEN: Num vero me isthic in vocum salebris inanique sono hærere putas?

THEAND: Nil mirum tui te Duces, quorum authoritati, cedendum existimasti, eo impulerunt, quo sua ipsi sponte ferebantur.

EUG: Quis enim tantorum viororum ductum non securus sequatur.

THEAN: Ego contra Eugeni, nullius privatæ Philosophiæ, neque unius alteriusque sectæ gratiâ, a communi sensu, qui mihi certissimus ad veritatem esse dux videtur, abscedam.

EUG: A sensu communi, nimirum vulgi, instabilis, & rudis plebeculæ, opinione pendere Philosophum fas existimas?

THEANDER: Non Eugeni, non inquam istud.

Sed ne longius evagemur, quid sensus communis sit, alio tibi istud Philosophiæ loco declarabitur.

Nunc vide, quantum tibi impedimenti, in discernendo, atque adeo in recte judicando, vocis ambiguitas affert. Et nisi fallor jam illam in Logica priore velut aliter agendo perstrixi eadem *caloris* vox duas simul res, ac ideas significare potest.

EUG: Profecto mi Theander redenunt mihi in memoriam, ea quæ ante, hoc de argumento definieras, calor, si pro nostra nobisque intima perce-

perceptione sumitur, in nobis est, non in sole, non in igne, at vero sumi quoque potest pro ea solis ignisque facultate, quæ nostræ perceptio- ni occasionem præbet, hac ratione soli & igni competit.

TH: Recte nunc tandem meministi Eugenij, Enimvero an præclari, illi Philosophi, negare possunt, esse in igne ac sole vim eam, quæ ipsis æstum concitet? non, nisi fallor, cur enim ignem, cur solem vitant, ac declinant, ne illis obnoxij sint, in seipsis, omnem calorem habent, seipso vitent potius, ac fugiant est necesse.

EUGE: Tamen, Theander, & si calorem illi totum in se habeant, causam caloris, ac æstus violenti fugiunt.

THE: Video Eugenij, at enim nomine caloris & vis ipsa causæ, & ipse effectus denotari potest.

EUG: Quodsi denotari non possit, nisi effec-
tus,

TH: Huc mihi crede, recidit omnis illa, in qua tantum sibi plaudunt nonnulli Philosophi, controversia, de voce lis est, Eugenij, quam defivisse, nec tantæ molis erat, nec tantæ laudis, quanti probri contra nec advertisse, nec indicasse; *caloris* voce pars una contendentium effectum ipsum, qualis in nobis est, nempe sensationem sibi designabit, quam recte à sole & igne removebat. Pars altera eadem voce vim illam, quæ causæ propria est, ad nostram in nobis sensationem excitandam accomoda, comprehendebat, eamque rectè soli, & igni tri- buebat. Quod opus erat in omni lite hac, nisi

voculam explicare unam, ac se mutuo intelli-
gere.

EUG: Rectè hi equidem, neque verò solum, Theander, tum voces discretioni idearum incommodant, cum eodem vocabulo plura denotantur; sed etiam dum idem pluribus effertur vocibus, sæpe sit, ut ab incautis aliud esse putetur.

THEAN: Sic est, Eugeni, sed maximum est in iis vocibus discriminem, quibus in communi sensu non absoluta quadam significatione, sed comparatè ad aliud utimur, ad ipsas scilicet rerum, vel personarum, temporum, vel locorum circumstantias; si ex pluribus loci unius ab alio distantiam quereras, audies ab uno, longè abesse, ab alio, planè esse non procul. Uterque comparatè ad eas quas respicit, circumstantias verum dicit; si pedes eas infirmus, ac debilis, longe est, si contra bene positus sis ad iter velociter, & commodè perficiendum, non est longe vix quidpiam abest.

EUG: Contra hoc a vocibus ipsis, & sermonis inter homines collatione, utrum in discernendo erroris periculum, si quid conjicere, Theander, possum, hac fermè ratione communire nos debemus. At *primum* quidem agere cum hominibus, qui cum exactas ideas habeant, tum eas clare, explicateque velis afferant, quod seu quid subobscurum videatur, nequaquam formanda statim est idea, donec penitus in eloquentis sententiam penetremus. *Deinde* vero formandæ de rebus ideæ, nulla earum ad voces, seu ad res ipsas accommodatione, ita, ut quantumcunque

DIALOGUS VI.

91

mutatis vocibus, res evoluta semper eadem, constansque fibi in mente, ac idea reluceat. Debet enim non idea sermoni, sed extremus sermo ideæ obediens, ac ad illius ingenium fingi. Postremoque tandem ut recta vocum, sermonis que præsertim ambigui, & plures unà significare res potentis cognitione valere, sic illum ad unam certam potestatem, significationemque restringere, restringique ab aliis, quibus cum commercium habemus, omni opera, diligentiaque curare.

THE: Sanè attulisti remedium, Eugeni, quo non præstantius ullum fingi potest, nec magis morbo, quem curamus, accommodatum. Tamen ita nos Philosophos esse decet ut ne morosi, societatique humanæ graves evadamus.

EUG: Unde vero hæc times Theander?

THEAND: Istud, quod attulisti remedium, Eugeni, ut ad Philosophicas disquisitiones jure pertinet, sic ad familiarem inter homines cotutinem non est referendum: in illis ecquidem sola spectatur veritas, in hac saepe servitur genio tantum, & animo indulgetur.

EUG: Nihilominus in communi quoque usu hæc cautela perutilis est, ne vagæ illæ expressiones, quibus animi gratia familiaris sermo utitur, mentem in discernendo transversim agant.

THE: Id non inferior, Eugeni, sed jam satis mihi dictum videtur de iis, quæ ad veritatem principii in judicando spectant. Dari oppositum illi errorem, errorisque ipsius fontes præcipuos luculenter, ut reor, indicavimus.

Nunc

Nunc ad veritatem consequentiæ, non quidem adhuc consummatam, sed judicio propriam, jamque adolescentem nos convertamus.

EUGEN: Scio illam in eo consistere, quod ideæ, quæ, & quales præcise menti præsentes sunt, inter se consentiant, vel dissentiant, id est una alteram contineat, vel non contineat, atque potius excludat. Nec mihi in eo quidquam difficultatis inesse videtur, nisi fortè ut explices, quanam ratione idea una alteram complectatur, cum illæ à se distinctæ, & divisæ mentis actiones sint, nec partes habeant, quibus ad instar rerum corporearum constent.

THEAN: Istud tibi nullo negotio aperiam, Eugeni. Idea una includit alteram in sua comprehensione (de qua semper me loqui intellige) cum illa & repræsentat id, quod altera, & plus etiam quam altera. Sic idea Eugenii includit ideam hominis, siquidem dum repræsento mihi Eugenium, repræsento quoque hominem, sed hominem ad certas circumstantias redactum, quas idea hominis præcise mihi etiam repræsentat, cum hæc ab omnibus differentiis, circumstantiisque abstracta sit; proindeque minus repræsentat, & includitur propterea in priore, ac continetur.


EUGEN: Profecto sic esse video, ut dicis, Theander, sed veritati huic contrarius error, quomodo tandem nobis accidat, restat inquirendum.

THEAN: Restat ecquidem, ut quoniam hujus, quæstionis definitio ab eo pendet, utrum ideæ nostræ omnes claræ sint nobis ac distinctæ, de hoc

hoc imprimis nobis agendum erit, quod proximo congressu commodius à modica respiratione præstabimus.

EUGEN: Vale igitur, Theander, me demum vocant quædam, quibus ubi satisfecero, ad te mox revisam.

THEAN: Vale, neque redire tarda, Eugen.



DIALOGUS SEPTIMUS

Unde nam oriatur claritas & distinctionis idearum.

EUGEN: En me tibi demum reducem,
Theander.

THEAN: Adde gratum quoque, &
maximopere desideratum.

EUGEN: Volvebam ipse multa me cum, Theander, circa propositam inter nos quæstionem, ut principium claritatis, distinctionisque idearum reperirem.

THEAN: Reperistine tandem?

EUGE: Ecquidem accepi potius, quam reperi.

THEAN: Quodnam illud? aut unde?

EUGEN: E. celeberrimi Philosophi Lockii sententia, claritas distinctionisque idearum venit ab ipsarum simplicitate; contra obscuritas, & confusio ex compositione adeo, ut quo minus composita idea est, sit clarior & distinctionis; contra quo plus compositionis habet, eo plus quoque habeat obscuritatis & confusionis.

THEAN: Itaque ubique in idea aliquid com-

compositionis reperies, ibidem quoque aliquid pro rata parte obscuritatis es offensurus.

EUGEN: Planè ita.

THEAN: Cum autem omnis ferme idea composita sit, omnis quoque erit obscura, & confusa.

EUG: Sed enim non omnis composita est, nec omnis obscura erit.

THE: Sed enim paucæ, & vix duæ simplices sunt, & paucæ igitur, ac vix duæ claræ distinctæque erunt.

EUGEN: Memini ecquidem te in Logica priorre jam id ostendisse, præter duas ferme ideas, nimirum: *Entis & modi* generalissime considerati, nullas esse simplices. Verum, pace tua, ex mente Lockii plures etiam ideas simplices esse, quidni sustineam.

THEAN: Quasnam verò cedo illarum peculiare exemplum.

EUG: En.

TH: Ecquidem scio: quid ex tuo Philosopho es allaturus, videlicet ideas doloris, gaudii, timoris, cæterorumque similium & claras esse, & simplices, at enim quomodo? Omnino tandem compositione destitutæ sunt illæ? Idea doloris non pluribus ideis constat? Quid enim, amabo, dolor est? Est; nisi fallor, *Affectus animi affligerentis se, ac torquentis ob malum, quod sibi praesens videtur.* Ecce illam, quam, ex Lockio, simplicem putas ideam, tribus nimirum, aut quatuor, imo pluribus etiam aliis concretam, quæ perspici in illa, distingvique possunt: *Affectus, Affligens, Malum, Praesens.* Non itaque Eugeni, Philosophi tui bonâ veniâ, omnis

omnis idea clara, & distincta, continuo simplex,
idem omnis compositionis expers est.

EUG: Verum, Theander, & tibi tua, & sua
Lockio doctrina constat. Per ideas simplices
non ille omnis compositionis expertes intelligit,
sed.

THEAN: Sed quid vero?

EUGEN: Quae proditant in anima conceptione-
hem undeque uniformem.

THEAN: Adiice cætera, quæ tuus ille idem Phi-
losophus adiicit; nimirum: *quæ non possit in alias*
distingvi differenter ideas, quod vides superio-
ri exemplo falsum patere. sed hæc conceda-
mus vobis. Age edic vero quid est, *producere*
in anima conceptionem undeque uniformem?

EUG: Est---Est inquam---Est ita mente rem
exhibere,--- ita exhibere, ut---ut ---

THEAN: Utneq; rem satis Lockius neq; tu illam
comprehenderis.

EUG: Sanè me hæc, Theander, mirum quan-
tum perplexum reddunt. Verum enim vero unde
tandem idearum claritatem ac distinctionem oriri
ipse putas?

THEAN: Id jam tibi, si qua possum, apertum eo.

EUG: Mitte, rogo, ambages atque rem expedi,

THEAN: Claritatis ego, & distinctionis idea-
rum, Eugeni, principium, ac fontem in sensu in-
timo repono.

EUG: Qui id vero?

THEAN: Nōsti, Eugeni, ideas nostræ utique
mentis perceptiones esse?

EUGEN: Quidni istud noverim.

THEAN: Itas mentibus nostris, animisque
inhæ-

inhærentes, atque etiam intimas esse fateris?

EUGE: Etiam fateor.

THEAN: Mentem nostram, dum suas ideas format, ac recipit, eas sentire quodammodo, ac experiri num inficiaris?

EUGEN: non ecquidem inficior.

THEAN: Dum igitur cogitamus, putasne, nos an cogitemus, ignorare serio posse?

EUGEN: At enim quomodo? profectò eo ipso tempore, quo de re quapiam cogito, quærenti ex me, utrum cogitem, nec ne? indubitanter respondeo, me cogitare, neque aliter, non reclamante conscientia, respondere possum.

THE: Tandem verò, Eugeni, dum re ipsa certus es, te cogitare possesne tibi, vel alteri homini persuadere, te nescire, quid, aut de quo cogites.

EUGE: Nec istud, qua enim porrò ratione? Video me cogitare, video itaque meam cogitationem, video igitur rei alicujus cogationem, & repræsentationem; ac proinde video certe rem quampiam apud me distinctam, ac repræsentatam.

TH: Rectè usque eò descendisti, Eugeni.

EUGEN: Tuis nimirum gradibus, ac tuis passibus infistendo.

THEAN: Profectò ea est animi, mentisque natura, ut omnes non solum ideas, rerumque repræsentationes, sed quoscunque etiam actus, motus, perceptiones, impressionesque in se receptas, fibi intimas, fibique maxime præsentes non intueri coram, & noscere non possit. An dum ea, quæ corporis oculis palam, ac propè subjecta sunt, nobis videri, perspicue non dubitamus,

bitamus, oculum mentis tam hebetem esse, putamus, ut in iis quoque, quæ ipsi non tam propinqua, quam in ipso posita sunt, intuendis, per noscendisque cœcutiat. Non ea etenim res est, Eugeni, quæ argumentis indigeat aliunde petitis. Experientiam, eamque intimam, quam, si vis, conscientiam optimè dixeris, testem habemus. Id quod age in exemplo particulari perspici licet. Propina alicui liquorem prægustandum ex variis aliis confectione commixtumque, quem nunquam biberit, nunquam noverit.

EUG: Profectò vide, ne contra te exemplum tuum pugnet. Is enim proculdubio in propositi liquoris sapore hærebit.

THEA: Non igitur illum apud se intimè agnoscat, ac distingvet?

EUGE: Minimè rerum.

THE: Abi igitur per singula, quibus ille sapor comparari possit, illique affirma: saporem eum Vini esse, negabit, aquæ esse, negabit; sicque in cæteris persistet, negabit, si aliena à sensu, ac perceptione sua efferves, certissimâ experientiâ, conscientiâque intima fretus.

EUGEN: Quid tum.

THE: Quid Eugeni; distingvit ille profectò perceptionem saporis quamlibet ab omni alia, quam aliarum rerum sapore est expertus.

EUGE: Esto distingvat.

THE: Igitur & clare cognoscat est necesse. An distingvere certissime clarissimeque possemus, quæ non aperte perspicimus; nisi ex cognitione rei *quid sit* distinctio ejusdem Eugeni nempe *quid non sit*, oriri potest. Quære ex quo-

piam in experto quonam ranarum sapor à cancrorum sapore distingvatur? Negabit se id distingvere posse; alterius ex iis, quæ in comparationem veniunt cognitione clara destitutus.

EUGEN: Negare non possum tandem Theander, in hoc quoque conscientiam apud me tuam præ aliis obtainere. Claritatis igitur distinctionisque idearum fons & origo ab ipsa illarum intima perceptione repeti debet.

THEAN: Ex quo demum intelligis Eugeni, quomodo illa, quam nobis definiendam proposuimus, quæstio decernatur.

EUGEN: Evidem facile hinc ista duo conficio Theander: nullam esse ideam, quæ non clara fit ac distincta ob ipsius intimæ perceptionis certissimum lumen. Alterum multum in judicando errorem dari posse veritatis consequentiæ id est idearum, quæ & quales mentis præsentes sunt, conjunctioni vel separationi oppositum. Nimirum cùm ideæ claræ fint, videntur omnino quid fint, atque adeo utrum fint, illud quoque quod de ipsis prædicandum venit nempe videtur an Idea attributi cadat conveniatque in Ideam subjecti. Rursus cum distinctæ fint, videntur quid non fint, adeoque quod non fint, etiam id, quod ipsis attribuere vellem, scilicet appareat, an Idea attributi excludatur ab Idea subjecti, neque in illa continetur. Hoc ita quidem ex iis, quæ stabilisti, principiis colligi perfacile video. Sed tamen Theander?

THEAN: Sed tamen Eugeni video tibi quosdam dubitationum restare scrupulos nonnullasque

DIALOGUS VII.

99

que obversari difficultates, ei, quam definivimus, Idearum claritati & distinctioni adversas.

EUGE: Non desunt omnino.

THEA: Eas igitur, unde poteris advoca Eugeni, proximumque in congressum tecum adduc, me curæ quædam faciliores à Philosophia tantisper avocabit. Vale ad cænam te præstolabor in hortulis.

EUGE: Adero nec incomitatus.


THEAN: Etiamne cum comitibus.

EUGE: Et permolestis fortasse.

THEAN: Quibusnam verò.

EUGEN: Difficultatibus undique argumentisq; quæ advocari jussisti, stipatus adero.

THEAN: Recte, hos nihil moror comites, quibus etiam incænatis esse licet.



DIALOGUS OCTAVUS.

Claritas Idearum & distinctio plenius explicatur.

EUGENIUS Temporine vero adsum Theander?

THEAN: Tempori quidem ad Philosophiam non ad cænam.

EUGEN: Quid ita?

THEAN: Quia videlicet tum maturé cænare non soleo, cùm præsertim jucundior tempestas ferotinæ deambulationi non obest.

EUGEN: Recte tu quidem istud, at inter ambulandum nihilne commentaris?

G2

THEA:

THEA: Imo tum maxime, tamen animo alacri
alioqui nihil me invito agere soleo.

EUG: Nunc vero.

THEA: Nunc quoniam te video Philosophiam
velle - - - faciam tui gratia, ut aliquid de cæ-
pta nuper inter nos quæstione cogitemus. De-
scendamus in hortulos.

EUGEN: Sequar te pone.

THEA: Hic ex ista, quam vides arbore Eugeni,
poma carpuntur, quæ mirum quendam & pla-
ne peregrinum saporem habent, qui medius
inter dulcem & acidum felicissima quadam ju-
cundissimaque temperie constat. Carpe sis &
experiere.

EUGEN: Plena sunt succo quodam sfavissimo
odore gratissimum spirant, color ipse mirificus;
Plane nihil horum simile nostra hac in regione
sum expertus.

THE: Sed age quamnam tibi hæc omnia ejus-
modi fructuum Ideam offerunt?

EUGEN: Commode ad argumentum commen-
tationis nostræ te convertis. Audeo tua pace
dicere Theander, me certissimum in his fru-
ctibus Ideæ obscuræ & confusæ etiam exem-
plum reperisse.

THEAN: Et obscuræ etiam?

EUGEN: Plane ita comperio?

THEAN: Sed age dum ejusmodi poma gu-
stas, non tibi gustare cerasa videris?

EUGEN: Nil minus.

THEAND: Non pyra?

EUGEN: Jocaris;

THEA: Non igitur mala cytrina?

EUGEN:

EVGENN: Rides etiam.

THEAN: Non poma aurantia?

EUGEN: Mitte facetias istas Theander.

THEAN: Non vulgaria tandem poma?

EUGE: Molestus mihi esse incipis.

THEAN: Saporem igitur horum fructuum ab omni alio sapore certissime distingvis?

EUGEN: Ita omnino.

THEAN: En igitur quam minime confusam, quam distinctam habes illius Ideam. Quid enim est distinctam habere alicujus Ideam? nisi illud ab omni alio distingvere.

EUG: Ecce rem; quae malum mea tarditas fuit, ut hoc ipse per me non agnoscerem? Vincis Theander distingvendam esse fateor.

THEAN: Quid; si distincta - - - -

EUGEN: Scio clara quoque esse debet - - Succurrit animo allatum à Te in hanc rem argumentum. Nimirum nihil à nobis clare distingvi, quod non dare cognoscatur, nec sciri posse, quid res non sit, nisi quid eadem sit, omnino sciatur. Hæc ego ita esse quidem fateor, nescio tamen quid subverente ac obmurmurante animo.

THEAN: Ecquid vero est, quod tibi religionem & metum quendam injicit.

EUGEN: Sunt multa Theander; Et in primis commune illud proverbium non à vulgo tantum sed à viris quoque sapientibus receptum: clare à nobis edici & verbis explicari posse, quidquid clare cognoscimus atque distingvimus. Cum contrà ego efferre plane nullo vocum apparatu possim hanc, quam horum fructuum ideam habes.

THEAN: Hoc esse profecto suspicabar, quod tibi formidinem injiceret; Sed accipe: Proverbia mihi crede sunt vulgi opiniones, veræ illæ quidem sed iis in rebus, ē quibus nata sunt, quibusque accomodata. Accomodari autem à vulgo non solent nisi ad res item vulgares id est communes, communique experientia ac usu contritas. Fallitur facilee, qui iis ad res plane singulares quales sunt Philosophorum præcificationes, abstractionesque, sine quibus in rigore Philosophico examinari unitas intentorum non potest, abutitur: Præcisiones porro ejusmodi quemadmodum in commercio communi Societatis humanæ versari plerumque non solent, ita ejus regulis nequeunt gubernari. Homines in communi vita ita voce ac sermone utuntur, ita devinciuntur colloquio, ut satis habeant, si se mutuo intelligent, si veritatem assequantur pro iis quidem, quibus vulgaris Societatis fæpta est, circumstantiis, neque ulterius Philosophicæ præcisionis more inquirunt, quā id, quave ratione verum fit.

Sapientes ipsi literatique homaines, si rem quampiam communi proverbio confirmant, id nonnisi tum faciunt, cùm in vulgari arguento versantur & populares esse quærunt. Illud in primis quod attulisti Eugeni Pòétis & Oratoribus familiare est. At nemo nescit eorum hominum sectam emnem artis suæ rationem maxime ad communem sensum popularitateimque referre. Itaque cum sermo omnis loquendique facultas Eugeni ex una quidem parte restricta argumentaque sit, ut in rebus novis præ-

præsertim ac singularibus atque ab usu vulgari remotis exterius sermone evolvendis sæpius sime hæreamus. Cumque rursus ex altera parte sermo in homines omnis ad res nonnisi communi eorum usu pervulgatas accommodatus sit; ita ut quisque in eo, quod usu experientiaque callet, eloquens esse possit. Axioma illud quod attulisti verum est, de intimis rerum cuique familiarium perceptionibus & Ideis, quibus effrendis sermo communis deesse plerumque non solet. Quod si ad res etiam à vulgo retrusas, ad novas & singulares, quæ ex Philosophorum præcisionibus nasci quotidie aliæ possunt, referas, nihil agis. Deficit hic humani sermonis facultas. Quod ut planius intelligas, experiri in te ipso potes, quoniam plures lingvas calle, quam sæpe rerum etiam communium non tam fæcundæ neque tam exactæ expressiones in uno Idiomate haberi possunt, atque in alio. Quid igitur eademne Ideæ & perceptio intima simul clara & obscura, simul distincta & confusa erit ex eo quod uno quidem idiomate feliciter, alio non item explicetur? non id utique existimabis.

Axioma itaque vulgare universæ verum non erit, nisi quibusdam adjectis conditionibus, in quibus *Ima* erit, ut Idioma, quo uti volumus perfecte calleamus. Altera ut facultatem & usum expeditum habeamus ad res etiam subtiles etiam difficiles & à commercio vulgari abhorrentes clare distincteque efferendi. *3tia* erit, ut Idioma, quo loquimur, per se ita copiosum sit & abundans, ut nulli ideæ ac per-

ceptioni intimaæ sua peculiaris desit exprefio.

EUG: Cur vero hanc ultimam conditionem adjicis?

THEAN: Quia nisi illa adfit, neceſſe erit plures ideas una ſepæ voce deſignare. Id quod homo nonnunquam ponit; & haec mater eſt obſcuritatis.

EUGEN: At hoc profecto imposſibile eſt, ſuum cuique Ideæ & perceptioni nomen tribuere,

THEANDER: Non diſſentior omnino Eugeni iſtud imposſibile eſſe. Vis enim percipiendi cognoscendique in nobis eſt quodammodo infinita, immunerat parit quotidie concipitque ideas, quibus exprimendis nullus fermo (qui omnis angustis eſt adeo regionibus diſtinctus) ſufficere potest.

EUGEN: Tamen Theander contingit, ut quosdam in nobis affectus, qui tamen nobis intimi ſunt incognitos ignotosque nobis ipſis vocan-dis.

THEAN: Vel quia ſimile nihil unquam experti ſumus, vel quia eam animi affectionem opportunis evolvere vocibus nequimus.

EUGEN: Quid igitur universe censes, nullane ratione & communis uſus & multi ſapientiſſimi viri excufari poſſunt, quod Ideas quasdam claras & diſtinctus, quasdam vero obſcuras & confuſas dixerunt.

THEAN: Excufari omnino poſſunt Eugeni, etſi excufari minime mereantur Philosophi præfertim, qui nullam ejus rei diſtinctionem attulere, cum interim rem iſtam in ſola voce cum ambiguitate ſitam infinitis prope quæſtionibus homo-

homonymicis obruerunt. Vulgarem sensum nos quoque secuti sumus, rejecta in hunc locum pleniore rei ad Philosophiae ingenium discussione. In se itaque & quantum ad proprium sibi objectum; omnis idea clara est distincta, obscura & confusa nonnisi comparate, ad quidpiam sibi externum dici potest.

EUGEL: Quod vero est illud ideæ externum?

THEAN: Est illud universum, quod ad illius representationem plane non spectat, seu illud objectum, quod tibi representari credis seu optas, sit, seu non sit ejus objecti aut perpetuus ipsius causa seu effectus, seu quidpiam ad horum familiam pertinens, quidquid denique, quod cum idea praesens non representetur, relucere tamen tibi ac depongi percuperes. Adeo quod plerumque Idea obscura confusaque dicatur cuius nobis exacta in sermone expressio non succurrit, haec si experiri velis abi per singula.

EUGEN: In uno si vis etiamnum experiamur. Hæremus saepe nec apud nos ipsi constituere possumus, majori ne in rem unam amore ac vehementiore in alteram odio feramur; Ecce confusionem circa intimos affectus nostros.

THEAN: Affectus ipsos ita profecto distinguimus Eugeni, ut nunquam amorem in odii & odium in amoris loco ponamus. Sed in comparatione vehementia eorum affectuum laborare possumus, eo quod ipsa aut in frequentiore unius quam alterius affectus exercitio aut in contentiore corporis ipsius, nimirum nervorum, arteriarum, musculorum sanguinis, spirituumque

vitalium commotione consistat. Quæ ambo intimæ perceptioni intrinseca sunt, neque ad Ideæ affectus repræsentationem spectat. Obscuritas itaque & confusio in uno ad effectum, in altero ad causam referetur, dum ea præfertim repræsentari nobis cupimus aut optamus.

EUG: Verum Theander nostrâ nil nobis intimum magis animâ est, cuius tamen è sententia magnorum Philosophorum multorumque confusam valde obscuramq[ue] Ideam habemus.

THEAN: Quantumcunque magni, quantumcunque multi tui ill Philosophi sint; homonymia boni viri simplicesque laborant nec apta rem distinctione expediunt; Quam enim Eugenii animæ nostræ Ideam habemus? mihi crede nonnisi eam quam ab experientia seu externa seu intima derivamus. Ea ipsa experientia valde arctis limitibus est circumscripta non adæquatam igitur animæ neque cum omni intima illuc nostra Æconomia atque analisi ad amussum commensuratam habemus Ideam. Quid tum? id, quod in Idea nobis relucet clarissimum ab omnique alio omni quam maxime distinctum est. Effe rationalem, liberam, æqui honestique capacem animam nostram. Et quis sibi ratione constans non videat? Eandem materiam & corpus non esse, quis porro (nisi infanos quosdam Atheos excipias) addubitet. Enquàm hæc clara distinctiones sunt, quæ nobis per ideam repræsentantur. At multa, quæ maxime nobis repræsentari vellemus, deficiunt!

Esto hac igitur experte Idea dicetur obscura? Dicatur sane, modo id cautum sit, eam aliun-

aliunde & ex eo nonnisi, quod ad ipsius representationem minime pertinet, sic appellari, in iis vero, quæ actu exhibit, quæque ipsi propria sunt, claram nimum ac distinctam esse.

EUEGN: At omnis nobis animæ Æconomia & Annalysis intima est Theander. Cur igitur non omnis clarè distinctique cognita?

THEAN: Quomodo intima?

EUG: Quomodo cunque tandem, certè omnis nostra anima nobis intima est, & illius abdita analysis, æconomia dicta, nil nisi ipsa est anima.

THEAN: Longius quam oportet à nostro principio evagaris Eugeni. Ea nobis clare distincteque cognosci diximus, quorum intimam perceptionem habemus. Omnis animæ nostræ abditissima etiam analysis, nobis intima per præsentiam est, non per perceptionem. Tantum, ut ita dicam, percipimus animæ, quantum per actus ipsius exercitiae experimur. Si omnia, insunt, experiremur, omnia perciperemus, si omnia perciperemus, omnia clare distincteque cognosceremus.

EUG: Satis omnino, quæ in hanc sententiam attulisti Theander & à te probe explicata, & à me cognita videntur. Quare jam age sis ad tertiam mentis operationem progrediamur.

THEAN: Interim porro nox jam profundior nos somni quietisque admonet.

EUG: Recte Theander jam me domum recipiam, nec tibi incommodabo.

THEAN: At vero cras tempestivus atque etiam antelucanus aderis.

EUG: Sane adero & ante solem quidem *Vale-DIA*

LOGICÆ SECUNDÆ
DIALOGUS NONUS

De tertia mentis operatione.

EUGEN: Vide Theander quam non impigrè præstem quod recepi.

TH: Sanè video tibi præ Philosophiæ studio somnum quoque aut ademptum esse aut præmaturè excussum.

Eu: Nil dubito ferme ademptum esse, ita miris somnii nescio an insomniis verius hæc me nox exagitavit, ut prope Philosophum esse pænituerit.

TH: Non igitur satis dormivisti?

Eug: Quare potius, an aliquantum. At enim tamen non exiguum inde fructum retulisse videor.

TH: Quemnam verò?

Eug: Ex superiori doctrina, quam è duabus præteritis operationibus tradidisti Theander ea, quæ de tertia operatione dici possunt continua quodam illatione ita collegi, ut ea quidem & ex tuis principiis certissimè descendere videantur, & tamen nescio quadam animum novitate ne dicam insolentiâ percellant.

TH: Omni meo periculo præstaboo, Eugeni, nihil quidem sive novi sive multo magis insolentis ex doctrina, quam proposui, sequi posse. Ea tantum, quæ in animo collecta habes, fac evolve, siquidem meis cum principiis sunt confessura, veterem ac antiquam veritatem habebis.
EUGEN: Imprimis quoniam tertia mentis operatio ex iis, quæ in Diaëtica seu Logica priore stabilita sunt, nil est nisi judicium ex aliis judiciis

DIALOGUS IV.

109

ciis recte inter se connexiis deductum, atque adeo integra ratio, pluribus judiciis absolvatur & constet jam inibi quoque duplicem veritatem principii nempe & consequentiae distingvemus ita ut prior quidem in conformitate judiciorum cum rebus quas repræsentari nobis capimus vel putamus consistat, altera vero consistit ineorumdem judiciorum ejusmodi inter se connexione, quæ conformis fit regulæ argumentandi in Dialectica constitutæ, ex eaque omnino descendens.

THA: Duas ejumodi veritates in ratiocinando seu argumentando non solum jure cum superioribus communi, sed etiam tanto potiori distinguere debemus Eugenii, Evenire equidem potest ut argumentatio constet præpositionibus omnibus, seu judiciis, si primum spectes plane falsis, in quibus tamen veritas & illationis manifesta sit ac invita, en ex iis, unam.

Europa continetur in Asia.

Azia continetur in America.

Igitur Europa continetur in Ameria.

Imum duæ propositiones vides ut sunt falsæ, si cum rebus qua hic nobis repræsentari volumus componantur. Eæ tamen ipsæ ita inter se, ita cum tertia, quæ conclusionis vicem obit, consentiunt, ut nihil exactius ad præscriptam argumentandi regulam possit hoc in genere efformari.

EUG: Sane, istud non inficiar Theander, tamen tu hic mihi jocum attulisti, cum ego de seria ratiocinatione agam:

TH: Id ipsum quod dicis Eugenii non aliter, nisi

nisi de duarum hoc loco veritatum distinctione intelligi potest: Quid enim quoad priorum duarum propositionum cum tertia congruentiam; jocarine tibi videor, an eam serio non curare solum sed etiam præstare? Age, accepta, si lubet, vel per jocum primas assertiones, tum vero neque joco neque serio ab acceptanda tertia expedire te poteris, ita illa in prioribus ad amissim regulæ continentur, ut admissis illis non possit non admitti tertia.

EUG: Non, equidem, in eo, jocum repono.

TH: Igitur in alio quopiam.

EUG: Id ita sane, at eo pacto, jam duo quædam ipse distingvo, quæ si quid assequor, ea ipsa erunt, quæ jam tu olim distinxisti.

TH: Profecto, ea ipse tenes Eugeni propositionem ex regulæ præscripto esse ad se invicem congruentiam & earundem cum rebus de quibus judicare volumus consensionem. Primum illi argumento probe constat, abest secundum, in primo nihil minus quam jocari tibi visus sum, in altero nihil sane non serii percipio. Sed hoc tamen postremum ex eo venit, quod aliunde non ignorem, quid Afia, quid America, quid Europa sit, neque aliam in alia contineri posse. Sed age Eugeni, fingamus quempiam, qui primæ Geographiæ elementa ignoret, Americam quidem vastum quodpiam imperium, Afiam vero nihil aliud, quam ejus imperii provinciam, Europam nihil nisi provinciæ hujus insignem aliquam urbem putare, quam is tibi serio ac citra jocum argumentum illud superius afferet, in quo nihilominus duas etiamnum veritas,

DIALOGUS VII.

no

ritates, principii scilicet & consequentiæ distinguere oportebit, cùm is unum quidem egregiæ præstet, ab altera longissime absi, nimirum circa rerum extra nos positarum statum miserè fallitur omnino circa ideam & propositionum inter se cohærentiam. Mille aliis rem eandem exemplis confirmare tibi possim Eugeni.

EUG: At enim nil est opus pluribus. Sed jam progrediamur eo, quo me maximè sentio perurgeri.

TH: Æqua petis.

EUG: Ratiocinamur Theander non aliter, quam ideam unam in altera & eam ipsam alteram in tertia includendo.

TH: Nil dubita.

EUG: Ideas ea porro ratione vicissim includimus, eas utique quas menti præsentes habemus.

TH: Haud secus.

EUG: Ideæ quæ menti præsentes sunt, per intimam conscientiam non claræ nobis maximèque distinctæ esse non possunt.

TH: Non aliter puta.

EUG: In ideis claris maximèque distinctis, quæ aliæ contineantur, quæ contra non item; certo ac manifeste perspicimus.

TH: Recte ac ex vero judicas.

EUG: Includere ideam unam in alia, contra, quam videmus, ferio ac ex animi sententia non valemus.

TH: Equis valeat contra evidentiæ ac certitudinis summæ torrentum niti?

EUG: Igitur quo superi quibusve gradibus delapsi

delapsi sumus, igitur inquam semper probè semper rectè nunquam male ac perverse ratiocinamur.

TH: Et hæc tibi mirari venit in mentem Eugeni?

EUG: Profecto mi Theander, an ego non miser tuæ unius Phjlosopiæ ope, duas res magnas ac inusitatas, ne dicam in solentes subito præstari, & in tot sublimium maximoque inge-
nio ut valentum sic laborantium Logicæ, Ma-
gistrorum præceptis, nihil esse mysterii, & Phi-
losophiam, quam ipsi rationandi artem appellant, quamque solæ Scholæ propriam usurpant
in omne subito genus hominum in rudem etiam plebeculam nullis Lycae dogmatis initiatam persvadere atque vulgari.

TH: Erit illud Eugeni, quod tu quidem cogitationum mentis, naturam originem, æconomiā, momenta denique veritatis, consequentiæ, omnia prænoscis, eorum causas & effectus explices. Alius autem, qui Logicæ beneficio Philosphorum hac in re idioma non didicit hærebit in illis ac conticescet.

EUG: At vero Theander vitiosæ dantur & quidem circa veritatem consequentiæ ratiocinationes, quæ sophismata solent appellari.

TH: Sophismata Eugeni nemo serio ac veritatis demonstrandæ causa profert Eugeni, nobis de seriis ratiocinationibus sermonem ac rem esse novēris. Tum vero si tu Sophisma esse deprehendis, quam alius sinceram ratiocinationem esse putat attenta illius mente Sophisma non est, est attenta tuâ. Is enim non distinguit plu-
res

DIALOGUS VII. LOGICÆ SECUNDÆ ¹⁰¹¹
res ideas una voce, aut uno eodemque
externo quocunque signo expressas.

Si enim distingveret, ut tu distinguis, non pro-
fecto ex animo argumentaretur, suamque ipse fal-
laciā deprehenderet. Quo loco id generatim
animadverte Eugeni, Sophismata, simulata, esse
argumentationes ac argumentationum velut
semias, in verbis verborum, que aut quo-
rumcunque signorum, quorum ope animi
senfa revelamus, involucris latent & impo-
nunt subinde, at in cogitationibus ipsis ac
ideis, ubi lux maxima, omnia in aperto ponit,
sua ipsis larva detrahitur. Cape hujus si vacat
experimentum, tecum ipse, atque per singula abi.
At ne vacuus a me manibus abscedas, verbosas
Scholarum contentiones tibi subjungo: expen-
de si lubet vel animi gratia; Philosophorum
idioma facilius disces, quali tibi etiam physicas
exercitationes scripturus sum. Vale mi svavissime
Eugeni, & mecum si jam verbis non poteris,
saltēt omnia tua familiarissimè communica.



Inv. nr. 208652

Lietuvos TSR Mokslų Akademijos
CENTRINĖ BIBLIOTEKA

L-18

170